DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

AVTORITATE DOMINI QVA CONSENSVM IN ALIENANDO VEL ONERANDO FEVDO RESPICIENDA,

QVAM

IEHOVA SVFFRAGANTE

ITEMQVE

DECRETO ET AVTORITATE

INCLYTI JCTORVM ORDINIS

IN ALMA IENENSI ACADEMIA

PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IO. CHRISTIANO SCHROETERO, JCto

HAEREDITARIO IN WICKERSTEDT

SEREN. DVC. SAX. CONSILIARIO, PROFESSORE PVBLICO, CVRIAE ITIDEM PROVINCIALIS, SCABINATVS, ATQVE FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE ORDINARIO, ET h. t. PRO-DECANO GRAVISSIMO

PATRONO SVO DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN VTROQVE JVRE DIGNITATIBVS ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI, ATQVE SOLEMNI

IN ACROATERIO JCTORVM

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS CONSVETIS

SVBMITTIT



AVTOR

IOHANN ADAM HAYN, NVMB.

C. S. V.

DIE XII. FEBRVAR. ANNO MDCCXXVIIII.

IENÆ,

ÆRE WERTHERIANO.

SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,

DOMINO

ERNESTO AVGVSTO

DVCI SAXONIÆ,

IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE,

ET WESTPHALIAE,

LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,

PRINCIPI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ,

ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ RAVENSTENII.

&c. &c. &c.

at et

SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,

DOMINO

ERNESTO LVDOVICO

LANDGRAFFIO HASSIÆ,

PRINCIPI HERSFELDIAE,

COMITI CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGENHAINIÆ, NIDDÆ, SCHAVMBVRGI, YSENBVRGI, AC BVDINGÆ;

&c. &c. &c.

atque

ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO,

DOMINO

FRANCISCO ERVVINO RVDOLPHO

S. R. I. COMITI DE SCHOENBORN, BVCHHEIM, WOLFSTHAL, ET REICHELSBERG DYNASTÆ WIESENDHEIDIÆ, ARNSFELSI, WALDENFELSI, DORNECKIÆ, WEYLERI, HEVSENSTAMMI, ET MARTINISTENII,

BARONI IN GOELLERSDORFF, MVHLBERG ET ASPERSDORFF; &c. &c.

SACRATSMÆ CAESAREAE MAIESTATIS A CONSILIIS ACTV SANCTIORIBVS

ITEMQVE

SACRI EIVSDEM CVBICVLI COMITI

NEC NON

EMINENTSMI ELECTORIS MOGVNTINI

CONSILIARIO INTIMO

ET VICE-DOMINO ASCHAFFENBVRGI, &c. &c.

PRINCIPIBVS

AC

COMITI

PIIS, IVSTIS, FORTIBVS, FELICIBVS, MAGNANIMIS

VIRTVTVM OMNIVM ASYLIS,

CVNCTORVM BONORVM DELICIIS

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS, ET GRATIOSISSIMO

PERENNEM FELICITATEM AVGVSTAM!

SERENISSIMI

DVX ET LANDGRAVI

CLEMENTISSIMI PRINCIPES, AC DOMINI

ILLVSTRISSIME

COMES

GRATIOSISSIME DOMINE

PRæclarè SOCRATEM dixisse, hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam esse, *si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset*, refert Consul, & Orator Romanus Off. II. 12. Gloria Mundi filum intentionis humanæ fragile. Eam tantummodo inconcupiscimus, tota ut DEO placeat vita, proximique servitiis syncerè mancipata sit. Optaremus quidem non gloriolæ suscitabulo, verum Veritatis magis, & Iustitiæ affectu, ut sicut intentio, ita labor talis extaret præsens, qualem SACRA MAJORITAS VESTRÆ REGALIS DIGNITATIS & CELSITUDO ILLUSTR^smæ^ EXCELLENTIÆ præscribit, ut CLEMENTIÆ, GRATIÆQUE VESTRÆ conspectui non frustraneo subjiceretur ausu. Sanè benignissima VESTRA in rem litterariam *propensio*, & inhærens Iustitiæ, & Æquanimitatis Amor incredibilem rapit omnes in admirationem. Nec posteritas laudes *Heroicæ* Vestræ Magnanimitatis, Pietatis, & sapientis^smæ^ Gubernationis silebit dignissimas. Eâ de causâ minimè ostentationis, neque emolumenti calcare motus, sed unicè magis ex præcipuâ devotissimi animi destinatione VESTRÆ PRINCIPALI SERENITATI, & peræque PRINCIPALI SERENITATI, nec non ILLUSTRIS^smæ^ CELSITUDINI, uti MÆCENATIBUS Studiorum

diorum Liberalium Maximis, & Amplificatoribus Justitiæ Augustis, Orbis, & Germaniæ Luminibus, Cosmographica Eudoxias magnitudine celebrandis, Hunc, DEI auxilio, confectum *Ingenii mei partum*, Disputationi Inaugurali submissum, utpute, locupletissimum subjectionis, & Venerationis meæ obsequiosissimæ, τεκμήριον humillimè consecro, eumque SERENISSIMI PRINCIPES ILLUSTRISSIME COMES, ut *clementi fronte, dextraque gratiosa* suscipere, atque indulgentissimæ Fortitudinis VESTRÆ Aura me, studiaque mea fovere propensissimè dignaremini supplex oro & obtestor. DEUM O. M. ut VESTRÆ PRINCIPALI SERENITATI, & peræquè SERENITATI, nec non ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINI, unà cum futuris Augustis Paternarum Ditionum *Hæredibus Principibus* & *Comitibus* Felicissimis, totisque Serenitate, & Celsitudine corruscantibus *Prosapiis*, valetudinis Nestoreæ vivacitatem, consiliorum salubritatem, fortunatam Successuum in Regimine efficaciam, omniumque rerum, & prosperitatis affluentiam, coelitus instar torrentis crebrius auctam, infinità mensurà optimè maximè concedat, præstetque ardentissimis precibus ætatem adorans talis ero, qualis in devinctissima devotione desinam nunquam

VESTRÆ PRINCIPALIS SERENITATIS, & peræque SERENITATIS atque ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS

Dabam Jenæ d. 14. Febr. 1729.

æternum subjectissimus & obsequiosissimus servus

JOHANN ADAM HAYN, D. Autor

Σὺν τᾶ τῶ Θεῶ παλάμᾳ

CAPUT I.

DE CONSENSUS DOMINI DIRECTI IN ALIENANDO FEUDO NECESSITATE TEMPERAMENTO ET EFFECTU.

§. I.



Vam momentosa, subtilis & apprime notabilis res sit Consensus Domini, id saltim ex regula illa Feudistica satis abunde apricatur, quod Feudo, sive novo, sive antiquo, sive seculari, sive Ecclesiastico, sive ex pacto & providentia, sive prose & suis Hæredibus, sive etiam franco, absque consensu Domini alienato, Vasallus Venditor feudum ipsum ejusque possessionem perdat; *per text. c. Imperialis de prob. feu. alien. per Loth. & c. Imperialem. de prob. feud. alien. per Frid. & ibi Interpp.* ISERN. *in c. un. in fin. quib. modis feud. amitt.* HARTM. PIST. *lib. 2. qu. 17. pr. n. 2. 7. 8. seqq. P. I.* FINCKELTH. *Disp. feud. 2. th. 25. n. 1. 2.* Illudque nullo pretio refuso & cum jactura omnium meliorationum ad Dominum libere revertatur: *c. un. II. F. 38.* HOTTOM. *Conf. 31. n. 29. seqq.* ROSENTH. *c. IX. concl. 64. n. 6;* *Nomothesia feudalis quà alienationem feudi illicitam.*

2. Emptor vero sciens pretium solutum cum ademtione Juris ad id cum Interesse repetendum amittat, illudque Fisco applicetur, vel etiam cum feudo ad Seniorem, si ipse cognitionis sive Jurisdictionis superioris Dominus sit, simul devolvatur; GLOSS. *in d. c. imperialem. §. habito. in verb. actione ex Empto. ibique* BALD. *n. 21. aliique Interpr.* KIRCHOV. *var. Resp. tom. 4. Conf. 35. n. 12.*

3. Denique scriba, seu Notarius, qui instrumentum de illa alienatione illicita, aut palam, aut simulate, sciens confecerit, officio, fama, & manu, & quidem dextra, vel ea, cum qua scripserit, privetur *d. c.*

Imperialem. §. *callidis.* & *ibi* CAMERARIVS *p.50. in pr.* SONSBEC. *P.2.n.74. de feud.* ut, tanquam falsarius, scil. eo puniatur, in quo deliquit; *Nov.17.42.134.c.ult.* & ibi GOTOFR. Ne ulla via, si forte a Principe gratia restitutionis ad officium ipsi fiat, denuo ejusmodi delictum perpetrandi remaneat *l. fugitivi 2.* & *ibi Gloss. de fugit.* BORCHOLT. *c.8.n.31. de feud.* SCHRAD. *in tr. feud. p.8. c. 1. n.4.* & *5.* Quæ pœna in Constitutione Imperiali Maximiliani I. de Notariis de Anno 1512. non mutata videtur.

§. II.

Ejus ambitus. 1. Quemadmodum autem ob ejusmodi alienationem illicitam, atque nullam ipso Jure feudum cum pretio amitti & tanquam apertum ad Dominum devolvi, tradunt communiter *tam* de Jure communi INTERPP. & *Dd. ad d. c. 1. II. F. 52.* & *55. ibique verb.* LIBERE. BALZARAN. *n.13.* & *22.* omnium communem veramque sententiam esse asserit; CVRT. IVN. *tract. de Feud. p.4. n.155.* HARTM. *in Pr. Observ. tit. de feud. 54. Obs. 37. in fin. lib. 2.* *quam* de Jure feudali Saxonico alioque; SCHNEIDEW. *de Feud. p. 7. c. 1. n. 2. p. text. Art. 75. lib. 3.* RVSDORFF. *in Vind. caus. Palat. c.12.*

Limitatio 2. Nimirum *quoad* Dominium sive jus feudi, quod Vasallus in eo habuit, SONSBECK. *p.12. n.73.* ROMAN. *cons. 212. n.8.* cum Dominus voluntatem suam de propter feloniam commissam sibi aperto feudo declaret, aut aliunde de ista constet; SERAPH. DE SERAPH. *de privileg. Juram. priv. 84. n.15.* VULT. *de feud. lib. I. c. 11. n. 97.*

Usus fori 3. *Quoad* possessionem vero feudi auferendam, præcedente causæ cognitione, atque citatis citandis ad videndum se feloniam commisisse, subsecuta sententia privationis declaratoria AFFLICT. *in c. sancimus 2. n. 4.* & *seq. quo tempore Miles.* OLDEND. *de Act. For. Cl. V. tit. de Act. Benef. loc. 5. cui* & *adv. quem. verb. cæterum.* sive Emptor seu detentator bonæ fidei, sive etiam malæ fidei sit *L. si deserta. C. si propt. publ. pens. vend. fuer. celebr.* & *ibi* GOTOFR. CASTR. *Cons. 68. n. 1. Vol. 2.* BVRSAT. *cons. 40. n. 38.* id quod in feudo non solum sed & in Emphyteusis alienatione & insecuta traditione, absque Consensu Domini facta obtinere, & communiter placuisse confirmat IASON *in L. 2. C. de Jur. Emphyteus. n. 15. 16.* IVL. CLAR. §. *feudum qu. 31. n. 1. 2. 6.* & *in* §. *Emphyteusis qu. 13. n. 2.* & *6. in fin.*

Limitationis ampliatio I. *II.*

§. III.

Alienationis illicitæ semel consummatæ 1. Ita quæri meretur; annon Vasallum excuset & a pœna caducitatis liberet, si feudum illicite alienatum & pure sive actualiter cum omni Jure, nulla resignationis reservatione, traditum ab Emptore vel

vel Possessore mox recuperet, antequam res exemplo perniciosa, in publicum proferatur, aut Dominus Jure suo uti incipiat? Equidem quibusdam, festinata æquitatis censura, videtur, Vasallum, si in continenti, sive, pauxillo dierum intervallo, antequam res in quæstionem adducta, feudum traditum ab Emtore recuperasset, a pœna tutum fore, & ideo causam arbitrio Judicis relinquendam esse sentit ZASIVS *de feud. p. 10. n. 5.* *quasfelonicam duratio.* *Opinio contraria*

2. Attamen contrariam sententiam plurium calculo confirmatam veriorem esse evincit text. manifestus *c. un. II. Feud. 44. quid Jur. si Vas. post alien. feud. recup.* Hac enim recuperatione, licet pauco temporis intervallo suscepta, non obstante, vindicatio feudi exinde vere aperti Domino illæsa manet; AFFLICT. *a n. 1. usque 13. in d. c. quid Jur. si post alien. feud. Vas.* CVRT. SEN. *consf. 61. n. 2.* quoniam Vasallus, qui feudum sciens alienavit & tradidit, illud hoc ipso sibi semel penitus, & Domino semper commissum ab Emtore sive Possessore valide recuperare nequit. *d. c. 1. & ibi gloss. quid Jur. si Vas.* cum facta feudi illicite alienati translatione, illud eo momento nec Emtoris, nec Venditoris est, & ideo semel Jure Vasalli extincto, illud recuperatione reviviscere haud potest. *argt. L. qui res. 98. §. aream. 8. ibi: in perpetuum. D. de Solut. ibique Dd.* Etenim re sic nondum integra, nec pœnitentiæ ob intercedens delictum ad effectum effugiendæ pœnæ locus est, aut esse quit: MATTH. DE AFFLICT. *in c. 1. n. 13. quid Jur. si post alien.* Veruntamen id, quod a Vasallo quanquam nulliter, attamen scienter factum, in præjudicium suum tenet, & valet ALVAR. *n. 11. in c. 1. de prob. feud. alien. p. Frid.* AFFLICT. *Dec. Neap. 278. n. 3.* WESENBEC. *consf. 66. n. 9. p. 2. per L. 70. D. de contr. Empt. L. Empti actio 21. C. de Evict.* Idcirco actus delicti ad illudendam Domino competentem actionem illa recuperatione irritus reddi nequit, quam plurimorum Dd. suffragio fundatam sententiam communioremque amplectuntur post alios LVD. SCHRAD. *p. 9. c. 1. n. 17. verf. & licet aliqui.* VULT. *de feud. lib. I. c. 11. n. 90. seq.* *Sententiæ nostræ probatio*

3. Nec movere quid potest ille ratio Zasii, aliorumque in medium allata in *d. c. circa verb.* POSTEA. *quid Jur. si Vasall. &c.* recuperationem momentaneam, seu modico dierum aliquorum intervallo factam, & ita morâ purgatam, esse exceptam, sed eam tantum, quam post intervallum temporis Vasallus molitur, intelligendam, atque ideo rem æquitate moderandam, & arbitrio Judicis committendam esse. Quandoquidem ea interpretationis inventio textui & rei incongrua, neque in resolutione contractus moræ purgatio inveniat locum; *Cotrariæ refutatio*

locum; *L. commissoriæ. C. de pact. inter Empt. & Vend.* Præterea æquitatis ejusque prætensi moderaminis eo minus hic habenda ratio, quo magis dispositio expressæ Legis Feudalis manifeste reperitur, contra quam sub prætextu æquitatis, forte cerebrinæ, judicandum neutiquam; GOTOFR. *ad l. 4. de eo quod certo loco.* Cum nostrum non est, leges condere, sed conditis parere, adeoque æquiores lege nos esse non decet *Nov. 18. c. 5. pr.* MYNS. *Obs. 63. C. 6.* REINK *de Reg. Sec. lib. 2. Cl. 2. c. 12. n. 35. 36.*

4. Non obstante regula: *æquitatem Juri stricto præferendam esse:* quia ejus censura jam adhibita, quod Vasallo, absque consensu Domini requisito, feudum alienanti, non tamen secuta traditione, subveniatur; transferenti vero possessio feudi non nisi prævia causæ cognitione, & sententia condemnatoria, auferatur. Etenim traditio feudi absque consensu Domini peracta enixum Vasalli consensum, & consummationem facti illiciti, insimulque contemtum Domini satis manifestat, quod, exemplo pernitiosum, impunitum manere nequit ROSENTH. *c. IX. concl. 12.*

Quæstionis Decisio aff. 5. Proinde spreta Zasii opinione, cum arbitrium Judicis, textu Legis evidenter lucente, non nisi regulatum concessum, jurique præsertim scripto alligatum est MENOCH. *de arbitr. Jud. quæst. lib. I. qu. 7. 8. 9. 11. 30. 37. 49. 57. 71. 77.* SERAPHIN. DE SERAPH. *de Privil. Jur. privil. 132. n. 13. & 81. 82.* MASCARD. *de Prob. T. I. concl. 31. n. 39. & qu. 15. n. 16.* Vasallum scientem, non attenta feudi translati recuperatione, etiam mox & brevi dierum intercapedine facta, a pœna, caducitatis non excusari, sed illud ipso Jure commisisse existimandum est. CARPZ. *p. 2. c. 49. D. 11. & 13. n. 12.* BARDILI *in nud. Jur. c. 48.* Nisi alienatio & traditio Feudi non absolute cum omni Jure ejusque Renunciatione, sed prævia indicandæ Domino feudi resignationis, & petendæ pro Emtore Investituræ expressa mentione facta sit. Ea enim reservatione alienatio non dolosa, sed magis conditionalis, & traditio vera & actualis adhuc suspensa esse, nec Dominus contemni videtur; Ideoque ob eam traditionem non perfectam, sed reservatione circumscriptam Vasallum feudum non amittere nec vindicationi aut revocationi locum esse tradunt de consuetudine & praxi Germaniæ, HARTM. PISTOR. *Obs. 230.* STRUV. *in S. J. F. c. 13. aph. 9.* Diss. tamen cum *Petr. Heigio Vult. de feud. lib. I. c. 11. n. 92.* COCC. *hyp. Jur. feud. tit. 8. n. 10.*

Limitatio (margin, beside "CARPZ. …")

§. IV.

Limitatio altera generalis Cæterum tamen hic notandum, quod si Dominus commissam feloniam,

feloniam, Vasallo vivente, non conqueratur, nec voluntatem eapropter declaret, postea mortuo Vasallo, Hæredi ejus de illa felonia, quæstio moveri haud possit; quia eum tacite culpam remisisse videtur per text. *l. sicuti pœna 38. D. de Reg. J. & ibi Dec. Cagnol. & alii Interpp.* MYNS. *C. 3. Obs. 97. n. 2.* VULT. *lib. 1. c. 11. n. 133. de feud.*

§. V.

Felonia & animadversionis feudalis mensura

1. Excipit hanc præcedentem altera Quæstio: num Vasallus feudum absque Consensu Domini vel totum, vel pro parte alienans, & pro parte duntaxat v. gr. arcem, vel castrum, vel villam, aut latifundium, vel jurisdictionem simul cum subditis, eorumque relaxatione a Juramento subjectionis, & fidelitatis ad realiter præstandum Emtori homagium, vel vasallagium simpliciter & nulla facta reservatione aut Domini mentione tradens, totum cum ejus appertinentiis ideo, quod in contemtum Domini alienasse, & tradidisse videatur, committat? Ex veteri quidem consuetudine medietatem feudi sine Consensu Domini alienare permissum erat, uti apparet ex *text. c. 1. qual. olim pot. feud. alien.* hac autem per leges Lotharii *2. F. 52.* & magis Friderici I. *2. F. 55.* sublata, plerorumque Dd. suffragia rigorem Juris communis sectantur, totumque feudum amitti, & Domino aperiri respondent, argumentis non exigui momenti nixi, BALD. *ad d. c. 1. §. 1. in pr. qualiter olim pot. feud.* LAVR. KIRCHOV. *in commun. Opin. Cent. 2. conc. 33.*

2. Veriorem tamen contrariam sententiam eamque tutiori judicandi via auscultandam esse, suadet hic potius tam æquitas Juris, quam ipsa facti ratio. Etenim pœna commensuranda est delicto *c. quæsivit. 2. §. fin. X. de his quæ fiunt a maj. par. capit.* VASQ. *illustr. Controv. lib. I. c. 12. n. 3. & c. 18. n. 36.* MEV. *P. 3. Dec. 39. n. 4.* Ast partem feudi duntaxat illicite alienans, & absque consensu Domini tradens delinquit tantummodo intuitu partis illius translatæ, ideoque haud amplius, quam pro illa parte plectendus venit, ne pœna delictum excedat. Quam ut æquiorem & Juri consentaneam opinionem etiam præferunt, RAVEN. *qu. 32. in c. 2. §. illud enim quæ fuit prima ca. ben. am. & ibi* GOTOFR. 2. F. 24. FR. SONSBECK. *in Comment. feud. p. 12. n. 78. & p. 13. n. 151.* IVL. CLAR. *lib. 4. sent. §. feudum. qu. 31. n. 7. qu. 59. n. 3.* WESENB. *de feud. c. 11. n. 2.* IOH. VOLCK. BECHM. *in usu Pr. feud. Ex. 10. n. 33.* qui idcirco magis secundem textum *expr. c. un. de Vasall. qui contr. Const. Lothar.* pronunciandum esse ex observantia fori concludit.

Speciale Temperamentum nomothesia communis in feudis Imperii Majoribus qua minoris partis alienationem liberam.

§. VI.

1. Sed quid ſentiendum de Illuſtriſſimis Imperii Romano-Germanici Capitaneis, ſive Vaſlis, vulgo, Majoribus Vaſallis, non mediocris hic Quæſtio intercedit: num Elector, Princeps, Comes, aut Baro Imperii *partem* Feudi Imperialis immediati absque ſpeciali conſenſu Domini ſupremi, ſeu Imperatoris & Agnatorum valide alienare queat? Quanquam juxta diſpoſitionem Juris feudalis Longobardici, quod uſu in Germania communiter invaluit, certum ſtatuitur, quemvis ſtatum Imperii bona feudalia paterna immediata, ut Principatus, Ducatus, Comitatus, Dominatus &c. ſive totum, ſive pars feudi, ſive major, ſive minor ſit, ſine conſenſu Domini ſuperioris, ſive Imperatoris Invictmi & Agnatorum in præjudicium citra pœnam privationis aut periculum revocationis alienare & transferre haud poſſe *per text. expr. c. un. de Vaſall. qui contra conſt. Loth. Reg. ben. alien. c. 1. de alien. pat. feud. c. un. an agn. vel fil. def. poſſ. ret. feud.* & *c. 1.* II. F. 52. & 55. FRANTZK. *in Comm. ad D. de Evict. n. 111. & 229.* HARPR. *Vol. IV. conſ. 57. n. 221.* adeo ut nemini Vaſallo ſtatum & proventum Feudi in ullo diminuere, imo nec unam candelam, aut Gallinæ reditum, vel aliud ſervitium in præjudicium Domini vel Agnatorum remittere licitum ſit, tradunt AFFLICT. *in d. c. 1 in pr. n. 31.* & CAMER. *p. 23. & 105. de prob. Feud. alien. per Frider.* CEPH. *Conſ. 3. n. 73. Vol. I.* BVRS. *Conſ. 49. n. 32. Lib. I.* atque ad hanc Juris Regulam Regalia, & majora etiam Imperii feuda in eorum qua totum & partem venditione, & oppignoratione, aliaque alienatione, ſicuti minora beneficia, reſtringi oportere, eorumque alienationem absque conſenſu Imperatoris peractam, & traditione conſummatam ipſo Jure nullam (declarata Cæſaris voluntate) cenſeri. ROL. A VALLE *Conſ. 100. n. 68. Vol. 4.* Imo nec ob neceſſitatem absque conſenſu Imperatoris quicquam de feudo Imperii alienari licere, non paucorum Dd. communis eſt ſententia MENOCH. *Conſ. 202.* PFEIL. *Conſ. 78. n. 94.* SECKENDORFF. im teutſch. Fürſten-St. *P. II. c. 3. n. 6.* ZIEGL. *de Jur. Maj. c. 4. e. 27. lib. I.*

Antithesis.

Sententiæ affirm. argumenta

2. Attamen cum Proceres & Ordines Imperii in ſuis Principatibus & Dynaſtiis valde magna autoritate, & ſpecie cujusdam *αὐτοκρατορίας* præcellent, jura territorialia exercentes, quorum intuitu vices Imperatoris ſuſtinere, ejusque perſonam repræſentare cenſentur ANDR. KNICHEN *in Comment. de Saxonico non prov. Jure & privil. verb. Ducum Sax. c. 1. & 2.* BORNIT. *de Majeſt. c. 14.* & ideo Domini territorii præcluent, *Capitul. Carol. VI. Art. 21.* ſane, prona & ſolida illa-

illatione hinc manifesto enascente, contra prælaudatam, & nimis generalem nec non hodierno Imperii statui inconvenientem sententiam asserere non dubitamus, quod illorum Imperii statuum potestas in suis territoriis & ditionibus adeo ligata & restricta non sit, sed vigore hujus excelsæ dignitatis & eminentiæ iis omnino integrum, ut partem, vel portionem terræ, aut locum particularem ad Vniversitatem feudi immediati pertinentem, quo quave eorum & Successorum status non multum infirmatur, nec præstationes & servitia Imperio debita diminuantur; qualis est respectu modi alienandi, & Rei ipsius, veluti Majoris vel Minoris, Principatus, Ducatus, Comitatus, & Dynastiæ &c. baronia, vel Decania, præfectura, oppidum, domanium, castrum, prædium, pagus, latifundium, villa, domus, certi annui reditus, decimæ, aut Jurisdictio in uno vel altero pago, Jus Patronatus, compascui, piscandi, navigandi, venandi, telonium aut vectigal in certo districtu &c. tam ex necessaria quam ex voluntaria causa libere & citra consensum specificum Imperatoris, & Agnatorum, permutare, in libellum dare, oppignorare, nec non vendere, in solutum cedere, donare, aut alio licito modo, sive inter vivos, sive mortis causa alienare, eorumque possessionem in alios transferre possint. Cujus sententiæ, ut usu Germaniæ, verioris non desunt adstipulatores JCti magni nominis & autoritatis IOH. IMOLA *in c. 2. n. 8. vers. ead. gloss. de Donat.* CVRT. IVN. *Cons. 158. n. 8. 9.* KLOCK. *de Contr. Cons. 8. n. 78.* FRANTZK. *in pecul. Resp. ad Consult. Nobil.* quam etiam hujus Salanæ Acad. Facultatem Juridicam approbasse testatur celeberrimus JCtus STRUV. *in S. J. F. c. 14. Aph. 29. n. 5.* & ex eo ITTERVS *de Feud. Imperii c. 23. n. 3.* Conf. ANDLER. *lib. I. Jurispr. publ. & Priv. tit. 10. part. 5. n. 16. 17. & 20.* quippe hujus particularis alienationis justicia in superioritate territoriali, quam tacito per consuetudinem consensu cum libero circa principatum, & dominatum gubernandi & disponendi potentatu Proceres & Ordines Imperii sunt nacti, & hac ratione jure allodii possident, fundata est. Proinde hanc altiorem facultatem in hujuscemodi alienatione particulari nexus feudalis eo minus impedire potest, quo magis iste tantum figuram & modum habendi, & consequendi Principatum, Comitatum aut Dynastiam, non autem ipsam potestatem, & præeminentiam, qua Principes & Ordines Imperii Illustres ex successoria qualitate patrimonialiter, sive Jure quodam patriciali pollent, concernit. MYNS. *Dec. 12. Resp. 4. n. 6. seqq.* BOXHORN. *Hist. Vn. Ao. 1388. p. 528.* ZIEGL. *de Jur. Maj. Lib. I. c. 4. n. 28.* STRYCK. *de Jur. & Act. non cessib: c. 4. §. 2.* excell. Dn. STRUV. *de Allod. Imp. §. 50.* Vnde

Dubii contrarii restricta dilutio

3. Vnde nec illis hac in re sanctio Lotharii & Friderici, pœnam privationis de sine Domini consensu alienantibus capiens, II. Feud. 52. & 55. obstare, neque eos, sicuti cæteros Vasallos inferiores, omnino adstringere valet, quod ipse Seckendorffius l. c. aliique JCti gravissimi agnoscunt. Licet enim istam prohibitionem quoad *Vniversitatem & majorem partem Feudi* Imp. illustris adhuc vigere concedendum sit; quoad alienationem tamen Rei feudalis *particularis Minorisque* illas Constitutiones Principes aliosque Status Imperii non afficere, usu & Praxi Germaniæ comprobante, indubitate existimamus. Id quod feudorum Imperii Rom. German. illustrium singulare esse, neque prohibitionem illam Lotharii & Friderici I. in quibuslibet alienationibus, etiam spontaneis, particularum Rei Feudalis observari, sed istas potius secundum primævam consuetudinis Feudalis figuram & rationem, quâ feuda, eorumque partes etiam ad medietatem usque sine speciali Domini consensu alienari possunt 2. F. IX. moribus Germaniæ ideo permissas judicari, ne exercitio potestatis territorialis Principes Ordinesque Imperii impediantur, tradunt multis ZAS. *de Feud. p. 9. n. 22.* CONRING. *de Dom. Emin. Sum. Poteſt. Civ. th. 67.* GYLMANN. *ſymph. Tom. 4. Vot. 3. n. 90. 91.* KLOCK. *Tom. III. Conſ. 102. n. 58. 59. & Merckelb. ibid.* HENR. MICHAEL *Reſp. Kilon. 14. pag. 129.*

§. VII.

Illius temperamenti extensio in Liberis

1. Neque hac in parte Jus revocandi Agnatis & Successoribus (Filios enim cæterosque Alienatoris Descendentes, qui Jure sanguinis semper sunt Patris aut avi &c. hæredes naturales, eo minus Revocatoria contra Possessores uti posse, quo magis huic dignitatem Defuncti, & reverentiam erga eum debitam eatenus obstare, quatenus & illos non in minore parte, aut uno fundo, veruntamen in Vniversitate Feudi Regalis, Principatus, Comitatus vel Dynastiæ, & ita veluti Hæredes in allodio succedere in aprico est, 2. F. 45. GRASSVS *Vol. II. Art. transmiſſio. qu. 31. n. 1. ſeqq.* HARTM. PISTOR *lib. 2. p. 2. qu. 13.* RICHT. *II. Deciſ. 79. n. 4. ſeqq.*) lege feudali alias adscriptum sortiri potest locum; quanquam iis alienationibus particularibus remuneratio aut nuda liberalitas causam dederit *argt. l. 1. §. ult. C. de petition. bonorum ſublat. X. 12.* NATTA *Conſ 674. n. 17.* FELIN. *in c. novit. 13 X. de Judiciis n. 7.* Quoniam, successor Principis, Comitis, aut alius status Imperii obligatur facto Antecessoris, & ei contraveniens dicitur contravenire sibi ipsi, cum Respublica semper eadem existit BALD. *Conſ. 359. Vol. 2. conſ. 326. Vol. 1.* BRVN. *Conſ. 1. n. 26.* SOCCIN. *Jun. Conſ. 60. n. 29.*

& in Successore Illustri tam Agnato

n. 29. Vol. 3. Ideoque multo magis conventionibus & contractibus Antecessoris stare debet; PAVL. CASTR. *in L. digna vox C. de LL. n. 5.* ROL. A VALLE *Conf. 13. n. 32. 36.* FELIN. *in c. 1. X. de Probat. n. 1. 2. 3. & in d. c. novit. n. 8. de Judiciis.* Quandoquidem in iisdem cum Principe, alioque illustri alienatore initis, quæ bonæ fidei naturam semper habere judicantur, DEC. *conf. 286.* non tam Principis aut Comitis persona, quam præeminens dignitas & autoritas ejus consideratur, cujus respectu omne, quicquid ab ipso disponitur, vel cum eo tractatur & contrahitur, peragi censetur. Defunctâ hinc quantumvis illius persona, autoritas tamen & dignitas ejus in successore adhuc respirat & residet, quæ pro inde revocationem pactorum, & conventorum aliorumque actuum legitime factorum neutiquam admittit ANT. PEREGR. *de Jur. Fisc. lib. 1. tit. Rubr. habentes Jura. n. 44.* BESOLD. *de Success. Reg. lib. 3. Diss. 3.*

2. Non obstante, quod par in parem non habeat imperium; *L. 3. in fin. D. de recept. arbitr.* Hujus enim Regulæ ambitus limitatur alia regula prædominante, quod dignitas & Autoritas Regiminis semper una & eadem sit, & propterea ex facto suo in quolibet Successore obligata permaneat *argt. c. nisi. 21. X. de Præb. & Dign.* BVRSAT. *Conf. 16. n. 47. & 55.* ROL. A VALL. *d Conf 13. n. 39.* MYNS. *Dec XI Resp. I. n. 100. & Dec. 13. Resp. 3. n 82.* ZIEGL. *de Jur. Maj. lib. I. c. 4. n. 28.* *Dubii resolutio*

3. Sicuti hac ratione & illum non minus, quanquam viâ Electionis fasces obtinentem, Successorem conventionibus Antecessorum legitime, & non inutiliter gestis vere obstringi, præsertim si celebratæ sint nomine dignitatis, extra Judicii alcam positum est ANDR. TIRAQVELL. *de Jure primog. qu. 35. n. 19. 20. seqq.* THOLOSAN. *Lib. VII. de Republ. c. 20. n. 27. 28.* GAIL. *II. Obs. 154.* CARPZ. *P. I. Dec. 87. & Dec. 88. n. 13. seqq.* sive successor sit secularis sive Ecclesiastica persona M. ANT. PEREGR. *d. tr. & L. n. 45.* *quam Successore Electitio*

4. Modo non sit Obligatio datæ in feudum ab antecessore meræ Expectativæ, & absque Consensu Capituli factæ, Germ. ein Geding; Anwarttschafft sive Anfall dicta. Hanc enim successor adimplere non tenetur PFEIL. *Conf. 71.* STRYCK. *in Exam c. XII. qu. 26.* NAEV. *Jus Feud. c. 7. §. 4.*

§. VIII.

1. Ex quo ulterius conspicuum est, neque pacto Confraternitatis & Vicissitudinariæ Successionis, consensu Cæsaris approbatæ & confirmatæ facultatem, partem minorem sui Principatus, Comitatus aut *Ipsius temperamenti efficacia in Successore*

Pactitiæ & Confraternitatis alius Ditionis validè alienandi vel oppignorandi Confratribus ademptam esse, sed ipsis eam nihilominus salvam manere & liberam.

Hujus Confrat. exemplar illustre 2. Cujus Rei documentum celeberrima illa Confraternitas Saxonico-Hassiaca a Serenissimis Confratribus Naumburgi, Ecclesia Cathedrali inclyti, Anno 1555. & 1587. & 1614. d. 1. April. singulari cum solennitate de novo repetita, prodit: LIMN. *lib. 4. jur. publ. c. 8. n. 161. usque 173. seqq.* ARVM. *in Disc. 6. ad Aur. Bull. Concl. 6.* Quamvis *Dubium hinc nascens* enim ex utrique Parti reservato, ibi Artic. II. in Mobilibus tantum bonis testandi Jure, & ad certam summam, videlicet triginta millia florenorum, restricto illucere videatur, omnem proinde dispositionem, alienationem vel oppignorationem circa rem immobilem particularem Vtrisque Confratribus interdictam esse, ideo quod, altera familiâ, quâ masculos, extinctâ, filiabus superstitibus Successio plane denegata; & ipsis pluribus quidem loco Dotis singulæ quatuor & vicies millia florenorum; duabus autem relictis Epimetri sive auctarii vice Vtrique decies millia florenorum; Vni saltim in vivis existenti duplicata, nimirum vicies millia floren. pro omni hostimento & causa, addicta & præstituta fuerint:

Dubii declinatio 3. Tantum tamen abest, ut hac solâ speciliater super certa bonorum portione reservata Dispositione testamentaria & Mortis causa ordinanda, quæ cautelæ & majoris securitatis ergo in ejusmodi de reciproca Successione pactis Gentilitiis, seu familiarum Illustrium Statutis ad eorum corroboramentum plerumque excipi, aut adjici solet, GAIL. *II. Obs.* 127. simulque generaliter sepimentum omni alii liberæ dispositioni inter vivos, sive alienationi, quà rem particularem, in vim actus in vanum habendi, & perpetuæ prohibitionis obtextum fuerit: Cujus ratione non cuiquam Confratrum utrorumque absque alterius partis consensu in alienationibus vel oppignorationibus hujus vel illius terræ, particulæ, aut rei minoris, ad totum Principatum, cæterasque ditiones pertinentis, libera facultate disponere licitum sit *argt. avth. in L. 3. C. communia de Leg. & Fideicom. & ibi Interpp.* ACCVRS. BART. BALD. CASTR. IASON. SOCIN. *reg.* 3. & 324.

Sententiæ affirmat. probatio 4. Siquidem hujusmodi Pacta Confraternitatis VNO respectu amicitiæ quidem mutuæ PVRA, *altero* vero respectu nimirum extinctæ alterutrius familiæ masculinæ CONDITIONATA sunt, & secundum eorum naturam, ex mente & consensu paciscentium dependentem, concernunt finaliter, mortis casu impleto, saltem successionem Confratrum ab una parte superstitum in locum & Jus omniaque bona, quæ ultimus Confrater ab altera parte, & sine hærede legitimo Ma-

sculo

ſeculo decedens poſſidet, illique relinquit. Quo intuitu ipſi Confratres etiam HAEREDES reciproci in Confraternitatis Inſtrumento expreſſe cluent; Adeoque illa Pacta Succeſſoria effective ſcriptionem Hæredis ſeu factionem Teſtamenti, quo Succeſſio Confratrum unius Partis impediatur, præ cæteris Vltimo alterius partis Confratri, prole maſcula deſtituta, duntaxat inhibent; Non autem communiter omnibus Confratribus eum ponunt obicem, ut quilibet ea poteſtate libera, quâ, vigore ſuperioritatis territorialis, gaudet, absque alterius Confratris conſenſu nec uti, nec ejus facultati amplius integrum eſſe poſſit, genere alienationis, aut oppignorationis unam vel alteram ad Principatum, Comitatum, vel Baronatum rem vel terram minorem pertinentem in alterum transferre. Hujus enim liberæ Diſpoſitionis expreſſam renunciationem ipſum ſupra laudatæ Confraternitatis reticet inſtrumentum. Qua deficiente probabile haud eſt, eo pacto Illuſtriſſimos utriusque Partis Confratres poteſtate ſua, liberaque diſponendi, quâ partem, facultate ſe abdicaſſe, aut de ejus renunciatione cogitaſſe. Cum igitur renunciatio in ejusmodi rebus, præjudicio obnoxiis, non conjecturalis, ſed

Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda.

IUV. *Sat. VII. v. 66.* ſtrictique Juris eſt. CARPZOV. *P. I. Dec. 58. n. 13. P. 2. Conſt. 35. Def. 11. n. 3* adeoque ad non cogitata non extenditur GAIL. *lib. 2. Obſ. 98. n. 14.* WESENBEC. *Conſ. 74. n. 58.* Imo potius, manifeſtante ipſo Confraternitatis tenore, contrarium evidenter apparet, quod Partis illuſtriſſimæ ſuperſtitis, caſu eveniente, obligatio ad Hæreditatis aditionem, & ſicuti commodorum, ita & ejus Onerum receptionem, æris alieni ſolutionem, pignorumque reluitionem inflectatur, verbis Art. 10. ibi expreſſe ſonantibus: **Da die abgegangene Parthey etliche Güter verſetzet hätte, ſo ſoll die andere Parthey, an welche die verſetzten Güter gefallen, ſolche Güter ablöſen** CARPZOV. *in Diſſ. Jur. Polit. de Pact. confr. Sax. Haſſ. c. 1. th. 15.* Sequitur ex his, imperium & poteſtatem diſponendi & alienandi, qua partem minorem ditionis utrique Confratri absque neceſſitate alterius conſenſum requirendi illibatam & liberam manſiſſe.

5. Nec adverſa, quam SCHOPIO. *Theſ. feud. p. 420.* adjuvante, RITTERUS, JCtus quondam Francofurtenſis atque elegantis eruditionis Feudiſta, *de feud. Imp. c. 23. §. 8.* fovere videtur, obſtare poteſt opinio. Quoniam refragante ipſis praxi veriorem, quam defendimus, ſententiam eſſe admonet allegatus Confraternitatis textus, comprobatque veritatis magiſtra, ita ut Electorem, vel Ducem Saxo- *adverſæ opinionis redargutio*

 niæ,

Sententiae aff. definitio niæ, aut Principem sive Landgravium Hassiæ de necessario requirendo Confratrum, æque ut Domini Directi, consensu in alienatione vel oppignoratione unius, aut alterius præfecturæ, domanii, prædii, fundi, aliusque Juris ad actus, & conventionis perpetuitatem, atque Creditori vel Emptori, Donatario, Vasallo, Emphyteutæ, vel alius generis usufructuario conciliandæ securitatis ergo vinculo Confraternitatis constrictum haud esse melius tenendum sit Conf. BECHMANNUS *Us. Pr. Feud. Exerc. I. n. 29. p. 10. 11.* STRYCK. *de Succ. ab Intest. Diss. 8. c 7. §. 34.*

§ IX.

ejusdem temperamenti exemplificatio 1. Parili fere ratione, quâ feuda Imperio aperta minora, quæ non adeo notabilis proventus, pacto Capitulationis Cæsareæ non includi, sed solius Imperatoris Romani Reservatis, ejusque arbitrio subesse, illaque Cæsarem, sine speciatim adhibito Electorum, Principum, Statuumque Imperii consensu, reinfeudare, oppignorare, alioque modo alienare posse, salvis tamen Juribus, qua Ecclesiastica & Politica, vi Instrumenti Pacis cuicunque Personæ & loco competentibus, salvisque oneribus & servitiis Imperio & Circulo debitis, passim tradunt. *conf. nov. Cap.* CAROLI *VI. Art. 2. & 11.*

hujus ratio illustrans 2. Quippe hanc potestatem sublimem Imperatoriæ Majestati ex natura primævi status Romano Germanici, qua ante Caroli V. vel etiam Friderici II. ætatem Usus Pactorum & Capitulationum, necessitasque interveniendi Consensus Electorum nondum ita invaluit, sed facultas res imperii alienandi, vel obligandi penes arbitrium solius Imperatoris erat, annexam mansisse inde rationandum venit, quod illa Dispositio Capitulationis Cæsareæ, quâ feudorum Imperio apertorum, aut vacantium alienatio, sive reinfeudatio ad præscitum SEPTEM VIRATUS, nunc NOVEM VIRATUS, & novissime quidem ad præscitum, & Consensum Electorum, Principum, Statuumque Imperii discriminatim limitata est, præcise Feuda Imperii duntaxat MAIORA, quæ spectabilia, & notabilis reditus, utpote Electoratus, Principatus, Comitatus, Dominatus, Civitates & id genus alia existunt, respiciat, & complectatur. Veluti ex ipso argumento *Capitulationis* CAROLI V. *verb.* Wenn auch Lehen dem Reich und Uns ꝛc. MAXIMILIANI II. *§. 26. & subseqq. Imperatorum Capit.* LEOPOLDI I. *Art. 30.* IOSEPHI I. *Art. 29. &* novissimæ CAROLI VI. *Art. 11.* satis elucescit.

Dubii explanatio 3. Non obstante eo, quod dicta Capitulatione Caroli V. Art. 9. caveatur, & Leopold. Art. 12. Ioseph. Art. 12. atque Caroli VI. Art. 10. repetatur; daß Röm. Kayserl. Majestät dem Heil. Röm. Reich und derselben Zugehörungen ꝛc. absque notitia & consensu Electorum, Principum, Statuumque sämbtlich nichts hingeben, verschreiben, verpfänden, noch in andere Wege veräussern, oder beschweren solle, und wolle. Quoniam verbo: Sämbtlich ꝛc. non personalem, sed magis realem intellectum inesse, eoque, qua substratam materiam, rem Imperii patrimonialem majorem, sive complexum plurium rerum, & Jurium, eorumque majorum, & minorum, ut sunt Principatus, dominatus

natus ditionesque & id genus cætera, perinsignis momenti, proventusque considerabilis bona, potius significari, suadet cohærentia subsequentis textus, & contextus, quove in assidua commemoratione illustrium Imperii Feudorum, der mercklichen Gütter ic. der ansehnlichen dem Reich angehörigen Herrschafften und Lehen 2c. sermo dirigitur. CONRINGI *de Domin. Emin. sum. potest. Civil. th. 67. & alibi.* Conf. *Autor* der gründl. Ausführung der Reichs-Stadt Landau *p. 337.*

§. X.

Quæstionis supra §. 6. propositæ Conclusio.

Quapropter ad superiorem quæstionem, successores illustres, qui potius ut universales, quam singulares, considerandi sunt, in Electoratibus, Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, aliisque Ditionibus Imperii non aliter, quam cum omni causa succedere, neque istas alienationes Antecessorum particulares, minoresque revocare, aut eorum factis utiliter gestis contravenire posse, vel debere, sed tam Creditores, quam possessores illarum rerum, aut terrarum particularium ex Jure quæsito, moribusque Germaniæ approbatis, tutos esse firmiter concludimus. conf. KIRCHOV. *T. 3. Cons. 10. n. 7. & T. 4. Cons. 36. n. 13.*

§. XI.

Particularis in feudis regalibus alienationis legitima mensura.

Sed uti hæ conclusiones sunt legis communis & Imperii restrictiones, ita usus earum providus esse, & se ultra extendi non debet, quam æquilibrium Justitiæ & æquitatis, ad quod istæ se referunt, patitur. Majestas enim, & robur Imperii Rom. Germanici, nec non splendor familiarum illustrium in conservatione eorum Feudorum maxime versatur, cui in detrimentum sensibile, & diminutionem salutis, & defensionis publicæ notabilem contraveniri haud debet. Quare nimium profusus, nec recte locatus usus alienationis illius particularis validus esse nequit. Et ideo hoc intuitu illæ alienationes restrictæ, quæ jure superioritatis, vel dominii libere, nec adhibito Imperatoris & Agnatorum consensu fieri solent, insuper ad certos limites lege imperii civili, vel interdum etiam pacto speciali alligatæ sunt, quos citra metum revocationis transire vix vel non licet.

§. XII.

Hujus Mensuræ Observatio I. Archi Principatuum Imp.

1. Hinc I.) *in specie* alienatio terrulæ aut Juris regalis de Electoratu Seculari, quæ cum totali dismembratione & dominii omnimoda translatione fit, *in Aurea B. Tit 25. §. 1.* interdicta est. Ne igitur in eam Imperii Sanctionem, quæ hac in re mutata non videtur, impingatur, validitati actus, vel contractus in eo cavendum est, ut talismodi alienatio partis minoris de magnifico & insigni Imperii, Prin-

[redacted]

integritatem non exartuandam. Principatu, qualis est Electoratus, sub feudali nexu, vel alio, pro hodierno more Germaniæ, pacto licito fiat, ita, ut delibatio Usus fructus in re alia certa referatur, vel Oppignoratio Rei istius feudalis ex reditibus annuis per intervalla sensim solvatur & redimatur. Quibus ipsis, manente salva superioritate, dominium, autoritas, jura & vires Electoratus & imperii non imminuuntur, sed quasi in integro conservantur.

Singularitas privilegii Brandenb. & Austriaci. 2. Quam tamen cautelam & restrictionem in Potentmis, Electore Brandenburgico & Archi-Duce Austriæ, utpote tam prærogativis, telonia seu vectigalia antiqua, in suis territoriis præsentibus & futuris libere augendi & prorogandi, novaque quocunque modo & loco instituendi, quam jure & immunitate de feudis, ab Imperio tenentibus, tanquam de allodio disponendi gaudentibus cessare, ex tenore privilegiorum Impp. Friderici I. II. & III. nec non Caroli V. aliorumque illuminat LIMN. *Jur. Publ. T. 2. lib. 5. c. 2. n. 31.* SPRENG. *Luc. Imp. c. 2. p. 101.* OLDENBVRG. *Limn. Enucl. lib. 3. c. 2. §. 13. 14. 15. & c. 8. §. 27. n. 9. 11. seqq.* STRYCK. *de Succ. ab Intest. Diss. 8. c. 7. §. 20.*

§. XIII.

Observ. II. alienationis partic. proportionem servandam; 1. Observandum autem II.) *in genere*, ut alienatio ista rei domanialis, vel ad Universitatem feudi imperii pertinentis, sit *moderata* & *proportionata.* Quæ enim modum excedit, coacervata, & multa vice repetita, insignem status diminutionem, & deformationem importat, atque ita in Successoris, & imperii grave detrimentum tendit, extra casum necessitatis vel utilitatis publicæ, merito inefficax judicatur. GROT. *de J. B. & P. lib. 2. c. 6. n. 5. 11. seqq.* BRVNNEM. *Cons. 1.* ZIEGL. *l. c. 4. n. 28. seqq.*

& immoderatæ remedium. 2. Unde casu immodicæ & intempestivæ alienationis proxime successuro, sive Agnatis cæteris, vel Coinvestitis, aut interdum certa ratione ipsis ordinibus Provincialibus, denen Land-Ständen, mit denen die hohe Landes-Herrschafft gewisse Pacta aufgerichtet; maxime, si justa causa metuendi subest, contra Illustrmum territorii Dominum Mandatis inhibitorialibus in augmo Imperii Aulici Archi-Dicasterio de non amplius alienando sub pœna annullationis valide implorandis & extrahendis iustitia adminiculatur non deneganda; STRYCK. *in Dissert. de Jur. & act. non cessib. c. 4.*

§. XIV.

Obs. III. de emendicata munificentia invaliditate Similiter III.) ejusmodi alienatio *non emendicata*, sed a proprio veroque judicio Principis, sive alienatoris profecta, & utiliter gesta esse debet. Etenim illa, cui nimia & inverecunda petentium inhiatio, & blanditiæ, quibus Principes illustresque status, & personas sub specie munificentiæ eo blandiloqui supplices constringere audent, ut

ut isti etiam non concedenda ipsis tribuant, causam dederunt, ideo recte invalida, & acquisitio rei obreptive facta, sive quasi surrepta, non immerito censenda est, quamvis possessor eam Rescripto, aut Decreto Principis vel Comitis firmatam esse ostendat; *argt. l. 1. C. de pet. bon. subl. & ibi Dd.*

§. XV.

Porro tenendum est, ut ista particularis alienatio feudi sit conformis pactis, si adsunt, familiæ, & statutis, veluti Ganerbinatus, & diversarum familiarum illustrium & nobilium peculiaribus, a Superiori Domino confirmatis. Siquidem ea, extraneo facta, non procedit, quando in illis pactis specialiter & expresse conventum, & cautum est, ut Agnatis & Coinvestitis vel Confratribus insciis, & invitis alienationes rei feudalis, vel allodialis particularis, licet minoris, aut modicæ, a possessoribus factæ, vel extra familiam aut pactorum tenorem celebratæ, nullo modo valere possint & debeant. MENOCH. *Cons. 202. n. 82. seq.* STVCK. *Cons. 26. n. 187. 197.* STRYCK. *de Succ. ab intest. Diss. 8. c. 7. §. 11. & c. 8. §. 15. 17. seqq.* NÆV. *Jur. feud. c. 7. §. 9. cir. med.* *Obs. IV. conformitatem pactorum gentilitiorum pro cynosura habendam*

§. XVI.

Dantur tamen casus necessarii, quibus promiscue alienatio feudi immediati, sive mediati, secularis, & Ecclesiastici vel majoris, vel minoris ejus partis, consensu Domini & agnatorum non adhibito, salvo tamen ejus dominio directo, juste & valide fieri potest, nimirum (a) ob bonum pacis, Martis fremitum, sive belli præsentiam pacisque restaurationem; *c. ecce 4. ca. 23. qu. 4. & ibi Int. ca. nisi. 21. X. de Præb. & Dign.* GAIL. *II. Obs. 57. n. 1.* GYLMANN. *Symph. tom. 4. p. 1. Vot. 3. n. 34. seqq. Tom. 5. Rel. 13. n. 17. 18. 23.* HARPR. *Vol. 1. Cons. 13. n. 23.* publicæ enim utilitatis favore ea permissa sunt, quæ alias lege prohibentur: *gl. in c. hæcquippe. c. 3. qu. 6.* & *c. quis enim. ca. 23. qu. 5.* BART. *in l. quemadmodum C. de agric. & cens.* ZAS. *II. cons. 1. n. 23.* *Generale temperamentum nomothesiæ feudalis in casibus necessariæ alienationis. 1. ob pacem publicam*

2. (b) Ob extremam inediam & instans periculum vitæ suæ, uxoris & liberorum, quod aliter & absque feudi alienatione declinari nequit. Uti hac in parte rigorem Juris communis, 2. F. 39. in Camera Imperiali attemperatum fuisse allegat MYNSING. *Obs. 30. Cent. 6. n. 5.* quia talismodi inevitabilis & naturalis necessitas omnem fraudem malumque ingenium excludit, quam interpretationem in Feudis etiam admitti oportere probatur *argt. pr. qualiter olim pot. feud. alien. & ibi Interpr. & argt. §. 3. II. F. 52. L. Creditor. 6. §. Lucius 4. D. Mand. L. fraus. 30. D. de leg.* MENOCH. *de Arbitr. Jud. lib. 2. Cent. 2. cas. 21.* *2. ob extremam famem mora impatientem*

caſ. 182. n. 21. maxime cum Vaſallus alii ſuæ conditionis vel melioris alienet feudum: BAPT. CACCIAL. *Obſ. feud. 18.* BALD. *in l. Voluntas n. 6. C. de fidei c.* AVT copiâ Domini vel ob ejus abſentiam ſive remotiorem Curiam, vel itineris periculum anceps, vel locum non tutum caruerit; AVT eo implorato illius conſenſum non impetraverit: BORCHOLT. *Com. in Uſ. feud. c. 8. n. 69. 70. 71.* Atque ea neceſſitas ſumma non patiatur intercapedinem. Hac enim ratione neceſſitas naturalis ſiſtit neceſſitatem legis RICHT. *Dec. 79. n. 47. 48.* GYLM. *Symph. tom. V. Vot. 13. n. 19.*

3. ob transactionem ineundam 3. Aut (c) ob transactionem implendam vel ratam habendam, CARPZOV. *S. J. F. Diſp. 7. th. 13.* Eâ enim, quâ res feudalis, uti lis mota exigit, in adverſarium bona fide transfertur, feudum vere non alienatur, ſed ei, tanquam potiori reſtituitur, vel relinquitur, cui lite ad finem peracta, ſine dubio ſententiâ Judicis adjudicaretur: VINN. *in tr. de transact. c. 3. n. ult.* adeoque nec Domino, quoad Dominium directum, præjudicatur, nec felonia committitur. Quia hæc transactio ſine fraude & ex juſta cauſa, ſive propter adverſarii circa ligitioſum feudum juſte oſtenſam & prævalentem cauſam, cui poſſeſſor feudi firmiter amplius reniti nequibat, inita fuit; MATTH. AFFLICT. *in c. 1. II. F. 43.* quam ideo nec agnati, aut coinveſtiti, ſi illa cauſa ipſos etiam evidenter afficit, impugnare, & rumpere poſſunt, cum jure adverſarii æque excluduntur. GYLMANN. *tom. I. p. 2. Vot. 7. tit. 8. n. 23. 24.*

4. ob factum feudi gratia præſtandum. 4. Aut (d) ob præſtandum factum, ad quod obligatus fuit anteceſſor, ſive ob conventiones, & contractus obſervandos, quibus feudum ab anteceſſore obnoxium factum; veluti ob ſolvenda debita Vaſalli, aut anteceſſoris in feudi utilitatem contracta. KLOCK. *Tom. 2. Conſ. 16. n. 51. & T. 3. conſ. 155. n. 96. 103. & 105. ſeqq.*

5. ob alias dolum excludendas neceſſitates ſummas. 5. Aut (e) ob alias ejusmodi neceſſitates naturales & legitimas, tanquam graviſſimas & neceſſario urgentes, dolum & fraudem excludentes, cauſas; NATTA *Conſ. 367. n. 14.* His enim & ſimilibus, ſuaſu æquitatis prævalentibus prohibitionem, & animadverſionem, Juris Communis alienationibus feudorum, *uſu Germaniæ recepto*, non obeſſe, easque in præjudicium Agnatorum & Coinveſtitorum impune, valideque fieri poſſe tradunt ZAS. *p. 9. c. 22. de feud.* GYLM. *l. c. tom. 4. p. 1. Vot. 3. n. 35. & tom. 1. p. 2. tit. 8. Vot. 7 per tot.* conf. THOMASI. *in Diſſert. de cauſ. prob. alien. feud. cir. fin.* Quam ſententiam ut veriorem & æquiorem eo magis firmat, quod regulariter generalis alienationis prohibitio ſive a lege, ſive ab homine facta, non inclu-

dat

dat in se necessariam alienationem. *L. peto. 69. §. 1. prædium. ibique Dd. & Gl: C. de fundo dotali.* cum necessitas justa, quod alias illicitum, facit licitum. ROMAN. *Conf. 107.* CURT. SEN. *Conf. 63. n. 20.* MENOCH. *de Arbitr. Jud. lib. 2. Cent. 2. Cas. 182.*

§. XVII.

1. Sicuti autem Consensus Domini Directi in specie est pactum Domini solenne adjectum, actum disponentis vasalli, vel contractum inter Vasallum & Emtorem vel Creditorem (late dictum) circa rem feudalem alienandam celebratum & ritè ostensum, prævià illorum petitione approbans, & confirmans, quo in se & naturaliter promittitur Emtori vel Creditori, ut ratione dispositionis, pretii soluti, vel crediti quoad se ipsum Dominum securi sint; sive, est solennis, vel conventa approbatio alienandæ rei feudalis à Domino decenter petenti & producenti Vasallo, ejusque Creditori (late dicto) securitatis ergo facta: SCHNEIDEW. *de feud. p. 7. c. 2.* Ita ex eo nunc ad Emtorem recurrendo sequentium & huc spectantium quæstionum eo clarior lux decisionis apparebit. *Consensus Domini Directi quidditas*

2. Etenim quæri hic meretur: Cuinam Emtori re feudali evictâ ab alienatore aut ejus hæredibus evictio præstanda, aut saltim pretium restituendum sit? Pro enodatione hujus rei faciliori discrimen inter alienationem illicitam, & licitam præsupponendum. Quà utramque enim alia ratio inter Emtorem scientem, & ignorantem, malæ & bonæ fidei habenda est. *qu. de illicita vel licita feudi alien. effectu quà evictionis feudo evicto præst.*

3. In alienatione nimirum feudi illicita, sive absque consensu Domini, nullâ aliâ necessitate publicâ, aut extremâ urgente, in extraneum factâ, Emtor vel Possessor sciens rem emtam venditam esse feudum, quod sine Domini consensu alienari prohibitum, uti res *statim* ab illo evincitur, ita vivente adhuc Vasallo alienatore non tantum cum amissione possessionis, pretio soluto fisco aut Domino, simul territoriali, applicando; ISERN. *in c. 1. n. 29. quib. mod. feud. amit.* BALD. *in c. imperialem. n. 21. de proh. feud. alien. per Frid.* PRÆPOSIT. *ibid. n. 2. & 4.* sed & omni jure actionis contra alienatorem, ejusque hæredes de præstandâ evictione privatur. Veluti supra §. 1. allegatis confirmavimus; add. Dn. I. H. de BERGER. *II. Resp. 218.* adeò ut ejusmodi Emtori nulla via relicta sit, pretium à quopiam repetendi, multo minus de evictione agendi. Quamvis sibi pacto expresso de restituendo, & præstando prospexisset. TIRAQUELL. *de Retr. T. 3. Gloss. 1, n. 12.* FRANTZK. *ad tit. D. de Evict. n. 111. seqq.* Etenim propter dolum impunitus manere non debet. *c. 1. §. 51. si quis. ubi gl.* & BELVIS. *& quidem in illicità alien. Emtori scienti planè non competentem.*

aliique de prob. feud. alien. per Loth. MAR. FRECC. *lib. 2. de aut & pot. bar. erga subfeud. aut. vers. seu sect. regnicolis non imponitur. n. 11.* quoniam sciens contra legem fecit, non aliter, quam in re simpliciter aliena alienata. *L. si fundum 27. C. de Evict.*

Cautela de salvando pretio

4. Nisi Emptor seu possessor sciens pretium nondum solverit. Eo enim casu nec ille ante solutum pretium Dominus rei emptæ factus, TIRAQVELL. *de Retr. Conv. §. 36. ad fin. tit. n. 72.* neque Emtio-venditio, nec dolus ex parte Emptoris videntur consummata, licet ex parte alienatoris, re feudali purè traditâ, delictum consummatum fuerit, adeoque emptorem exceptione tutum esse magis affirmandum est. RAYNAVD. *in d. c. imperialem §. habito. n. 46. 48.* SCHENCK. *ibid. n. 6.* AFFLICT. *in c. 1. de invest. de re alien. n. 1.* KIRCHOV. *var. Respons. T. 4. Cons. 35. n. 12.*

Emtori verò b. f. omnino succurrentem

5. Si vero Emtor bonæ fidei sit, sive ignorans feudum esse, ipsi re, Vasallo alienatore adhuc vivente, evictâ, neque pacto speciali in contrarium intervento, actionem tam ad evictionis, quam simul pretii soluti præstationem, & restitutionem contra alienatorem, ejusque hæredes competere jure & suffragante communi Dd. opinione expeditum est. *L. si familiæ 14. C. famil. ercisc. & ibi gl. & Dd. L. non dubitatur. 6. C. de evict.* HARTM. PIST. *lib. 2. p. 1. qu. 10. n. 1. & 2.* VULT. *de feud. c. 10. n. 161.* Dn. I. H. de BERGER. *II. Resp. 289.*

Emtori b. f. tamen incauto quoad pretium tantum à vend. restituendum.

6. Nisi Vasallus alienator pretium solutum accipiens, conventione adjectâ, nihil evictionis nomine præstatum iri sibi caverit. Eo enim pacto Emptor, licet ignorans, & Vasallus sciens sit, sibi cum jactura de evictione actionis præjudicat: ad pretium tamen re evictâ repetendum jure agere potest; quamvis Venditor conventioni specialiter clausulam de non reddendo pretio simul inseruerit. Etenim contractus bonæ fidei conventionem illiusmodi non patitur, ut rem emtor amittat, & pretium solutum venditor sine causa retineat *per tex. L. ex emto. §. fin. D. de act. Empt. vend.* & proinde Vasallus sciens ex dolo suo lucrari nequit. AFFLICT. *in c. imperialem. ibi non solum in posterum. n. 7. II. F. 55.* PAVL. *de* CAST. *in d. L. si familiæ C. fam. exercisc. n. 4.* SCHRAD. *p. 8. c. 8. n. 60. de feud.*

§. XVIII.

In Licita, sed consensu interessentium incomitatâ alien. Emtori scienti & incauto omnino quoque non opitulantem.

1. Viciſſim autem in alienatione feudi licitâ, quà Emtorem scientem, regulariter verum & indubitatum est, quod sine pacto speciali Emtori scienti non debeatur Evictio, nullaque de illius præstatione, & pretii repetitione, re evictâ, contra Vasallum alienatorem sive ejus hæredes competat actio. Id quod probatur *c. 1. in pr. de invest. in re alien. facta*, ubi MATTH. DE AFFLICT. *n. 1. seqq. & alii Interpr. per l. si fundum. 27. C. de Evict. l. si fratres. 7. C. comm. utr. Jud. tam fam. herc.* SALYC. *in l. non dubitatur. 6. C. de Evict.* CABALL. *in tr. de Evict. §. 5. n. 31.* & sic fere omnes Dd. unanimi calculo concludunt. Siquidem

dem ſcienti & volenti non fit injuria: *l. 1. §. 1. & fin. D. de Act. Empt. l. cum donationis. 34. C. de transaction.* adeoque evictio, quæ ex naturâ rei naſcitur, illi, qui rei indolem notam, perſpectamque habet, nec ſibi cavet, poſtmodum præſtari haud debet. WESENBEC. *Conſ. 15. n. 18. p. 1.* Non conſideratô, nec Emtori opitulante, quod Venditor rem licitè venditam, traditamve eſſe feudalem, & aliquando ad agnatos reverſurum ſciverit. Quoniam in dolo eſſe dici nequit, cum Emtori, antea rei qualitatem ſcienti, nihil diſſimulet, aut occultet.

2. Quanquam autem hanc regulam cenſurâ æquitatis limitandam eſſe à quibusdam aliis Dctbus alitur opinio, contendentes, quod Emtori ſcienti, nec ſpeciali pacto munito, qui licitè emerit feudum, ſi non evictio præſtanda, pretium tamen, re evictâ, ab alienatore ſive ejus hærede reſtituendum ſit. *per tex. L. ex emto. §. fin. D. de Act. Emt. Vend. & L. 3. §. 3. C. commun. de Leg. & fideic.* TIRAQVELL. *de Retr. §. 12. Gloſſ 1. n. 10.* SCHRAD. *Conſ. 20. qu. 5. n. 8. tom. 3. Var. JCtor.* Quam in ſententiam etiam Scabinos Lipſienſes reſpondiſſe refert HARTM. PIST. *lib. 2. p. 1. qu. 10. n. 27. & 31.* quia venditorem cum damno alterius locupletari, Juri & æquitati naturali diſconveniat. *l. ſicuti pœna 38. & ibi Dec. & Cagn. & l. Jure naturæ. 206. D. de R. J.* DID. COVARR. *c. 17. n. 1. lib. 3. var. reſolut.* *Opinio adverſa*

3. Nihilominus tamen valdè durum ſane videtur à manifeſta Juris Feud. diſpoſitione, quæ expreſsâ lege civili generali fundatur, veluti ex allegatis textibus *c. 1. pr. de inveſt. de re alien. facta. & l. 27. C. de Evict.* luce meridianâ clarius prænitet, diſcedere, & diverſam, prætextu æquitatis, amplecti opinionem. Quoniam rationabilis cauſa dictæ legis feudalis & civilis ex eo ſatis evidens eſt, quod Emtorem ſcientem prudentem, rem emtam eſſe feudalem, & revocabilem, ſua ipſamet audacia, voluntas vel negligentia evictionis præſtatione, & ſoluti pretii repetitione deſtituat, cum de ejus præſtatione ſpecialiter, claris apertisque verbis ſibi non conſuluerit. *aſſertionis noſtræ confirmatio*

4. Quibus fulcris legum immotis vigorem perpetuum haud evertere, vel derogare poſſunt textus ex D. & C. pro altera opinione ſtatuminandâ adducti. Quandoquidem *L. ex Emto 11. §. fin. D. de Act. Emt. Vend.* DE EMTORE BONÆ FIDEI, & qui ſcientiam rei alienæ non habuerit: HARTM. PIST. *lib. 2. p. 1. qu. 10. n. 31.* LEGIS autem *34 §phus fin. C. commun. de leg. & fideic.* DE CASV SPECIALI, præſertim alienationem Legati vel Fideicommiſſi conditionati reſpiciente, loquatur. Ideoque hicine textus, licet in ſuo genere valeant, extra tamen pomœria ſua ad feudalem caſum diverſum extendi, & hoc ipſo perſpicuitatem & generalitatem legis allegatæ feudalis & civilis circa *Contraria opin. ſternenda ges.*

 præſen-

præsentem casum expresse disponentis convellere aut obfuscare eo minus possunt; VINN. *sel. Jur. Quæst. lib. 1. c. 2.* STRUV. *S. J. C. Exerc. II. th. 47. & ibi* PETR. MVLL. quo magis circa causas feudales ejusdem autoritatis est Jus Feudale, sicuti in causis civilibus Jus Civile; VULT. *de Feud. I. c. 1. n. 5. & 8.* SCHRAD. *p. 1. qu. 1. 2. 3. de feud.*

5. Nec movere potest pro ista opinione quicquam regula memorata, quod nemo cum alterius jactura locupletandus sit. Quoniam ea in illicitis, & dolo factis, non autem in legitimis licitisve negotiis, & alienationibus locum sortitur, eoque minus priori fundatæ sententiæ occursare potest, quo magis satis luculenter apparet, quod pretium solutum absque causa non retineatur ab alienatore, aut ejus hæredibus. Cum ejus locô emtor Jus Vasalli & usumfructum feudalem unà cum emto feudo acquisivit, & possedit; quibus ipsi, facto Emtoris, carere cogebantur.

6. Neque etiam laudatum Responsum Scabinorum Lipsiensium tantum robur ei opinioni addere valet. Siquidem à positione Juris particularis ad universale consequentiam nectere, & eô ipsô, legem apertam, certamve destruere fructaneo nisu fieri in propatulo est.

Quæstionis definitio 7. Proinde demonstratis Juris rationibus fulti priorem, magisque Juri congruam, & veriorem adeoque sequendam sententiam, quod Emtori scienti etiam in alienatione licita, speciali pacto non munito evictio, & pretii soluti repetitio non competat, asserere minimè dubitamus.

§. XIX.

Limitatio ad recuperationem pretii directa I. 1. NISI I.) saltim generali, aut indefinito conceptu cautio Evictionis instrumento alienationis incorporata, vel annexa fuerit, aut aliunde per conjecturas certas & probabiles de mente contrahentium, pretium, re evictâ, reddendum esse, evidenter constet. Eo enim casu, quanquam illorum opinioni, qui hujusmodi generali & indefinito pacto tantam efficaciam & sufficientiam, quam speciale Emtori scienti de Evictione ab alienatore vel ejus hæredibus præstandâ tribuit, inesse contendunt, CABALL. *de Evict. §. supra. n. 19. & §. 3. n. 168. qu. 25.* GOZAD. *Cons. 93. n. 9.* RIMINALD. *cons. 362. n. 6. Vol. 2.* haud adstipulamur, Emtori tamen ad pretium recuperandum stratam Actionis salvam paratamque esse non ægrè concedimus. AFFLICT. *Dec. Neap. 278. & ibi* CÆS. VRSILLVS. *n. 3. 4.*

II. 2. Quibus adde, NISI quoque II.) speciale provinciæ, seu territorii statutum, aut consuetudo curiæ vel loci in contrarium extet, seu obstet. Quia specialia Jura & statuta singulorum locorum in causa

decidenda

decidenda feudali Jus commune præcedunt. ROSENTH. *in Syn. feud. c. I. concl. 14.* BODIN. *lib. 1. de Rep. c. 2.* CARPZ. *in Syn. Feud. Disp. I. th. 13. 14. 15.*

§. XX.

1. Quod denique in alienatione licitâ Emtorem ignorantem concernit, affirmamus de eo *per c. 1. pr. de invest. de re alien. facta, & ibi Interpp.* BALD. *in c. 1. §. rursus. n. 3.* PICVM. *v. 10. quib. mod. feud. amitt.* quod ipsi, re per agnatos vel alium aut superiorem aut tertium evicta, ab alienatore ejusque hærede, evictio, nimirum damna, interesse, meliorationes, sumtus, aliæque impensæ una cum pretii restitutione præstanda sint. *In eâdem Licitâ Emtori ignoranti subvenientem omni modo.*

2. Etiamsi *I.*) de evictione is non convenerit, MENOCH. *cons. 226. n. 145.* VULT. *c. 10. n. 161. de Feud.* aut *II.*) sciverit quidem rem esse feudalem, perfectam tamen rei, ejusque qualitatum & circumstantiarum scientiam non habuerit; Veluti quod Venditori agnati, feudi aliquando capaces, adhuc superessent. *argt. L. in totum 77. & ibi Interpp. D. de R. J. L. de statu. D. de Testam.* BARTOL. *in L. admonendi. 31. n. 27. seqq. D. de jurejur. L. aut qui aliter. §. 1. D. quod vi aut clam.* Non obstante pacto alienatoris expresso de non præstanda Emtori evictione. Quoniam sciens ignoranti Emtori, non attento pacto, speciali, nihilominus de evictione obligatur *argt. L. tenetur. 6. §. fin. D. de Act. Emt. & ibi* BARTOL. BALD. & CASTR. Cum is Emtori rei qualitates, servitutes, aliaque gravamina integrè explicare debuerit, *L. quæro. 39. & ibi Interpp. D. de act. Emt.* SOCIN. SEN. *Cons. 49. n. 79.* MYNS. *Cent. 1. Obs. 56. n. 7.* & hoc debitè non dilucidato, aut fortè affirmato, sibi agnatos, hujus Feudi capaces, non existere, ideo in dolo versari venditorem, atque Emtorem ignarum ejus fidem sequutum esse creditur. Proinde Venditoris hæredem, qui feudum alienatum jure suo certoque casu revocare alias non impeditur, de eâ quoque evictione devinctum esse tradit HARTM. PIST. *II. p. 1. qu. 9. n. 38.*

3. Quamvis Emtor hæredi, rem alienatam revocanti, excipiendo non resistat, sed rem evinci sponte patiatur. Siquidem in Emtoris electione est, exceptione uti, aut de evictione agere. *L. vindicantem 17. cum seq. D. de Evict. L. venditrici 3. C. de reb. alien. non alien. & ibi Dd.* *licet omissâ Exceptione.*

§. XXI.

Cæterum tamen suadendum Emtori cuicunque, ut providè, & cautè circumspiciat, quid, & à quo, & ubi terrarum emat, sibique expresso pactô, specialive semper caveat, ne, feudo emtô venditô ex jure retractûs à Domino vel agna- *Cautela Emtoris Gnomon.*

co evictô sese periculo & jacturæ pretii soluti exponat. Siquidem eo casu Emtor, nisi ab alienatore evictio promissa sit, contra venditorem ejusque hæredem agi nequit: Regula generali ita dictitante, quod facto retractu rei venditæ evictio non præstetur. MATTH. DE AFFL. *in tr. protimis. in verb. & intra 30. dies n.38. in c. I. §. rursus. n. 13. quib. mod. feud. amitt.* ÆGID. BELLAMER. *in c. constitutus. col.3. vers. nec obstat. X. de Restit. in integr.* adeo ut venditor ejusque hæredes nec pretium Emtori refundere cogantur *L. 3. L. hoc jure 27. L. si per imprud. 51. & ibi Interpp. D. de Evict.* HARTM. PIST. *lib. 2. qu. Jur. p. 1. qu. 10. n. 8.* FACH. *lib. 7. c. 14. p. 38. in fin. seqq.*

§. XXII.

Eadem via Actionis subfeud. ignoranti & scienti cauto sub veniri, subfeudo evicto

Atque hactenus de præstandâ Emtori rei feudalis ignoranti, nec non in licitâ alienatione scienti, speciali pacto tamen munitô, evictione solliciti fuimus. Brevibus tunc attingendum venit, quod eâdem ratione in subinfeudato tam ignorante tempore concessionis rem esse feudalem, & aliquando revocabilem, quàm sciente cauto quoad evictionem à subinfeudante vel ejus hæredibus illi præstandam, vel, si sciens de eâ sibi specialiter non consuluerit, huic non præstandam, res decidatur LAVD. *in c. 1. n. 6.* PAVL. PICVS *ibid. in §. rursus. n. 10. quibus mod. feud. amitt. ibique alii Interpp.*

§. XXIII.

idem Juris in subfeudato sciente, etiam incauto singulariter obtinere subfeudo culpâ Domini evicto

Sed Quæstio non intempestiva hic incidit: Num Subvasallo scienti, nec speciali pacto munito ejusque hæredi, si Domino aut Agnatis feudum refutet Subfeudans vel ejus Hæres, evictio præstanda sit? Id quod contra *Zasium p. 10. n. 87. de Feud.* ejusque asseclas affirmare haud ambigimus. Jure enim expeditum est, quod si culpâ subinfeudantis Agnatis, vel Domino feudum aperiatur, subinfeudato etiam scienti à subinfeudante ejusque Hæredibus evictio debeatur ISERN. *in c. 1. verb. postquam, ad libell. 29. seqq. quib. modis feud. amitt.* Atqui Refutatio ista subinfeudantis voluntaria respectu Subvasalli procul ullo scrupulo culpa judicanda & declaranda est. Namque circa ineptum ratiocinium præsumendum, vel fingendum haud est, tempore subinfeudationis Dominum inferiorem seu immediatum & subvasallum hoc egisse vel contraxisse, ut subinfeudanti Jus suum Domino vel Agnatis posthàc refutare, & ita subinfeudatum circumvenire, exagitare vel decipere liceret: Sed hoc potius tacitè inter ipsos conventum sanâ ratione intelligendum est, ut in eo subfeudo subinfeudantis factô, culpa, aut delicto impediri, molestari, vel inquietari non deberet, verum quamdiu res ex natura suâ sine factô hominis apud subinfeudantem, ejusque hæredes durare posset, tamdiu etiam penes Subvasallum ejusque Hæredes absque inquietatione maneret.

Quare

Quare ſubinfeudantem, feudo ab ipſo refutato, & hâc ſuâmet culpâ aperto, de evictione Subvaſallo ſcienti, & licet ſpeciali pacto non munito nihilominus præſtandâ teneri manifeſtum eſt. Cujus ſententiæ adſtipulatores reperimus BALD. *n. 3. 4.* & BAR. SCHENCK. *in c. 1. §. rurſus. n. 8. 9. 10. 11. quibus mod. feud. amitt.* SONSBEC. *p. 12. n. 129. de Feud.* THOM. MARIN. *de Gener. & Qual. feud. tit. 2. p. 2. n. 128.*

§. XXIV.

Neceſſitas adhibendi, & exorandi conſenſum Domini ad alienandum feudum fundatur in autoritate Domini. Nam à quo fluit beneficentia, ad eum refluere debet honor beneficiarii in iis, in quibus honor verſatur. Siquidem autem in alienatione feudi continetur honor & reſpectus Domini directi; idcirco conſenſus ejus in iſta alienatione neceſſario impetrandus eſt. Quo minus igitur res Domini propria, eô invitô, in alium transferri poteſt, eo magis ejus conſenſus in alienando feudo, in quo Domini proprietas & intreſſe radicatum eſt, adhiberi debet. Ideoque in Domini præjudicium absque ejus conſenſu feudi alienatio validè fieri nequit. ROL. A VALLE *V. I. Conſ. 2. n. 136.* VULT. *I. de Feud. c. 11. n. 84. 86. ſeqq.*

Autoritas Domini cauſa primaria requirendi ejus conſenſum in feudo & lien.

§. XXV.

1. Quemadmodum autem Alienatio, cui Synonymum eſt Commercium, II. F. 52. in materiâ Feudorum generaliter omnem actum, contractum & negotium, quô vel utile Dominium plenè in extraneum transfertur, vel Jus reale in feudo conſtitui ſolet, comprehendit *c. 1. II. F. 9. cap. 1. §. ſimiliter. de L. Corr. cap. 1. II. F. 55. L. 1. D. de reb. eor. quæ ſub tut. & cur. argt. L. fin. C. de fund. dot.* WESENBEC. *c. 11. n. 3. ſeqq. de feud.* AUG. BARBOS *de app. verb. utr. Jur. ſign. verb. alien. n. 1. 5. 6. ſeqq.*

Alienationis feudalis conceptus Generalis

2. Quæ alienatio à Vaſallo ſciente, & traditione actuali ſecutâ, non adhibito Domini conſenſu, ſimpliciter peracta feloniam inducit: & ILLICITA dicitur. BESOLD. *II. Conſ. 57. n. 285.* LUDWELL. *in S. J. F. c. 12. p. 35.*

illicitæ alien. proprie ſic dictæ formalis ratio.

3. Ita hinc vera & legalis eruitur Specierum illicitarum, impropriarum & propriarum illatio ſive definitio, quod juxta nomotheſiam communem absque Conſenſu, & permiſſu Domini res feudalis à Vaſallo *validè* & I.) CITRA NULLITATEM, nec teſtamento, nec legato, aut fideicommiſſo, nec donatione mortis causâ, in eum effectum, ut ipſa res, ſive feudum extraneo ſit præſtandum, relinqui poſſit; *c. 1. de ſucceſſ. feud. c. 1. de prob. feud. alien. per Frid. & ibi* AFFLICT. *n. 28. 30. 31. 32.* VULT. *I. de Feud. c. 9. n. 150.* CORBUL. *de Jur. Emph. cauſ. amiſ. 14. Lim. 14. n. 4.* NATTA *T. 3. Conſ. 502. n. 31. 32.* imo ne pro anima quidem,

Species alienationum feudi illicitarum tam impropriarum.

multo

multo minus donatione inter vivos in piam caussam converti queat: *II. F. 9.* SIGISM. LOFFRED. *Conf. I. n. 164.* ROL. A VALL. *Conf. 42. n. 1. 2. Vol. I.* Quanquam id de æquitate Canonicâ licere contra veritatem & rationem Constitutionis Feudalis censent: ROMAN. *Conf. 199. n. 8.* BVRSAT. *Conf. 127. n. 44. lib. 2.*

quàm propriarum 4. Impunè vero & II.) CITRA FELONIAM, sive autoritatis Domini violationem & caducitatem feudum nec (*a*) vendi. 2. F. 52. uti superioribus demonstratum nec (*b*) inter vivos donari; 2. F. 9. & 55. nec (*c*) permutari BALZARAN. *n. 29. in c. imperialem. §. habito. de prob. feud. alien. per Frid.* ZAS. *p. 9. n. 3. 4. seq. de feud.* etiamsi eâ permutatione

ampliatio res Domini melior facta, tam in feudo quàm in Emphytevsi; WESENBEC. *c. 11. n. 3. de Feud.* SCHNEIDEW. *p. 7. c. 1. n. 37. 38. ampl. 14. de feud.* nec (*d*) cedi in solutum aut compensationem; *argt. l. 1. C. de fund. dot. junct. II. F. 23.* MOZZ *tit. fin. ex quib. cauf. feud. amitt. n. 131.* DEC. *Conf. 445. n. 24.* STRYCK. *Vol. Disp. 9. de Dat. in Sol. c. 3. n. 5.* nec (*e*) dari in libellum, sive contractum libellarium, aut censuarium, vel usumfructum *I. F. 13. c. 1. §. fin. de alien. feud. c. 1. donare & ibi Interpp. II. F. 9.* eruditè CVRT. *p. 4. n. 91. de feud.* KNIPFSCHILD. *de fideic. fam. nob. c. 5. n. 111.* RHETIVS *ad Jus feud. 5. p. 249. l. ult. de reb. alien. non alien.* Licet concessio ad tempus tantùm, & reservato utili dominio peracta fuerit; quia illud pactum in fraudem legis factum præsumitur: CACCIALVP. *in Obs. Feud. Obs. 41.* WVRMS *tit. de feud. 50. Obs. 33.* SCHNEID. *p. 7. c. 1. n. 5. 6. 7.* DID. COVARR. *var. resol. lib. 2. c. 16. n. 1. vers. locatio.*

Limitatio NISI caussa prohibendi cesset, aut consuetudine regni vel provinciæ aliud invaluerit; conf. THOMASI. *in Dissert. de cauf. prob. alien. feud. §. 30. 31. seqq.*

Præterea nec (*f*) dari à Patre in Dotem filiæ, nec in donationem propter nuptias tradi; *2. F. 8. 2. F. 9. §. donare. 2. F. 52. l. 9. de R. V.* & ibi *Interpp.* VIVIVS *lib. 4. Dec. Neap. 538. n. 1.* VULT. *de feud. lib. 1. c. 10. n. 59.* HINCKELTH *Disp. feud. 9. th. 18.* nec (*g*) à Marito Vasallo Uxori in Dotalitium Germ. Leib-Geding Witthen-Sitz, quo post ejus obitum vidua ad dies vitæ utatur fruatur, constitui possit MYLER. *ab Ehrenb. in Gamol. c. 12.* STRYCK. *de Succ. ab Int. Diss. 4. cap. 2. §. 8. & 13. & Diss. de Jur. vid. Sax. c. 1. n. 10. seqq.* Quoniam his & similibus veræ alienationis illicitæ speciebus dominium utile rei feudalis sive jus reale in alium contra dispositionem Legis prohibitivam & in contemptum Domini realiter transfertur. *II. F. 52. c. 1. add. l. 4. C. de præd. Min.*

Exceptio 5. NISI aliud longâ consuetudine introductum, & dos illata probetur. Quo casu tam Agnatus quam Dominus feudo sibi aperto onus

onus constituendi Dotalitii suscipere tenetur HEIG. *P. 2. qu. 20. n. 32. 33.* STRYCK. *d. tr. de Succ. ab Int. Diss. 4. c. 2. §. 9. seqq.*

6. Atque ex his contrariis juxta se positis jam quoque eo magis elucescit Natura, nec non specialitas alienationis feudi *licitæ*, quæ propriè salutationem Domini ejusque consensum prærequirit. *alienationis Licitæ forma.*

7. Ubi de *licitè* facta donatione feudi observandum, quod illa, susceptis postea liberis, eo ipso revocabilis sit. FINCKELTH. *Disp. Feud. 9. th. 17.* *Feudi donati revocabilis causa*

§. XXVI.

1. Quibus accedit, quod eôdem vinculô pignus in feudo firmiter constituendum contineatur, tam Voluntarium quàm necessarium. Siquidem feudum sive totum, sive pro parte absque consensu Domini citra feloniam neque *pignore*, sive traditione possessionis, ut pignoris loco apud Creditorem sit, affici *per text. I. F. 52. verb. pignorare. & ibi Præpos. n. 1. aliique Interp.* neque etiam *hypothecâ* cum effectu, utpote specie alienationis utrâque, validè obligari potest, si hujus occasione, debitore non solvente, & Creditore agente, à Judice distractio vel addictio feudi decernatur, HOTM. *Cons. 31. n. 11. seqq.* VULT. *I. Feud. 10. n. 54.* BESOLD. *p. 2. Cons. 57.* KLOCK. *Tom. 3. cons. 154.* Quare eâdem ratione, quâ per oppignorationem ad alienationem feudi devenitur, sequitur, quod etiam ad hypothecam Consensus Domini necessarius sit, eoque non adhibito hypotheca effectu destituatur. NEGVZ. *in tr. de pign. & hypoth. p. 2. pr. Membr. 2. n. 43.* SONSBECK. *p. 12. n. 100.* WESENB. *c. 11. n. 5.* MYNSING. *Cent. IV. Obs. 86.* PRUCKM. *Vol. I. Cons. 24. n. 100.* *Alienatio licitæ vel illic. serie includi Pignus; & Hypothecæ pactum quoad effectum;*

2. Sicuti & parili fundamento constitutum in Feudo sine consensu Domini possessorium, quoad Creditorem, inefficax est, imo Vasallum feudo privat, si vi constituti possessorii illud à Creditore occupatur. ALVAROT. MATTH. de AFFLICT. *in c. 1. quid Jur. si post alien. feud. Vas.* CLAR. *§. Emph. qu. 13. n. 4.* *Constituti Pactum quà consecutiva.*

3. Quod adeo verum est, ut nec marito Jure communi permissum sit, feudum pro restitutione dotis uxori, nomine pignoris, vel hypothecæ, obligare AFFLICT. *Dec. Neap. 111. n. 6. & Dec. 265. n. 67. & 68.* CAPYC. *in investit. feud. c. feuda pro Dote. Col. 5. §. obligantur. p. 177.* SCHRAD. *p. 8. c. 1. n. 24. seqq.* *species pignoris regulariter illiciti.*

4. NISI ejusmodi obligatio fiat salvô Domini assensu, & absque fraude AFFLICT. *d. Dec. 111. n. 7. seq. & ibi* CÆS. URSIL. *n. 1. seqq.* AUT moribus provinciæ, & loci aliud increbuerit, atque de ista contrariâ consuetudine vere constet. *Lim. quid si aliud moris sit?*

5. Veluti in Gallia & quibusdam aliis locis moris est, Vasallos indistinctè impignorare, & absque pœna caducitatis rem feudalem hypothecare, allegante *Mos Gallia*

D PETR.

PETR. IACOB. *in pract. infor. libell. de condict. ex morib. pro feud. aperto. sub cap. ex quib. cauf. feud. am. rubr. 59. n. 36.*

Mos Saxonia. 6. Assimiliter & Jure Saxonico Uxoribus Nobilibus pro dote restituenda feudum à Marito absque consensu Domini validè oppignorari posse, obtinet. *Const. nov. 25. in fin. p. 2.* CONST. ELECT. SAXON. CARPZOV. *de Oner. Vas. feud. Dec. 3. pos. 2. seqq.*

§. XXVII.

Diversa Ratio necessarii pignoris in feudo constituendi 1. Quanquam verò communis aliàs est sententia, quod sine consensu Domini pignus necessarium in feudo firmari possit, & ideo Judex ex officio quandoque, factâ immissione, pignus vel Judiciale vel Prætorium constituat: BALZARAN. *in c. 1. §. quid ergo. n. 22.* ISERN. *ibid. n. 6. & ibi* NARDVS *in addit. verb.* SED AN IVDICIALE PIGNVS. *de invest. de re alien facta & ibid.* AFFLICT. *n. 4.* WESENBEC *Conf. 50. n. 7. & 12. sqq.*

& quidem Liberè quà fructus. 2. Attamen hæc cum grano salis, & secundum quid accipenda sunt, nimirum quod illud pignus tantùm *quoad* commoditates & fructus feudi,

illicitè quà Jus Vasalli 3. Non autem *quoad* ipsum Dominium utile valeat. Quandoquidem huic annexum est Jus personale, quod Vasallo ita unitum, ut separari nequeat. Et ideo sine consensu Domini ipsum feudum in alium transferri non potest; etiamsi alienatio fuerit necessaria: quia Dominus invitus alium Vasallum propter diversas indoles, & operas hominum suscipere non tenetur. MATTH. de AFFLICT. *in d. c. 1. n. 4. de investit. de re alien.* BARTOL. *in l. si finita. § si de vectigalibus. 26. n. 4. D. de damn. infect.* MATTH. COLER. *de Pr. Exec. P. 2 c 3. n. 269.* Hinc etiam illud utile Dominium ob æs Vasalli alienum pro executione rei judicatæ à Judice Creditoribus addici, aut distrahi nequit. MENOCH. *lib. 2. de Arbitr. Jud. qu c. 182. n. 1. 2. Cent. 2.* SCHRAD. *p. 8. c. 1. n 20. de feud.* ROL. A VALLE *T. 4. Conf. 22. n. 13.*

Licitè consentiente Domino. 4. Nisi Dominus consentiat. HARTM. PIST. *I. qu. 15. n. 84.* Et ita decernente feudi Domino propter æs alienum Vasalli Feudum Creditoribus pro solutione concedi, aut distrahi, in perpetuum spe successionis agnatis præcisâ, sæpe se vidisse, idque rationi & æquitati consentaneum esse allegat WESENBEC. *in Parat. D. de reb. aut. Jud. possid. in fin.* Conf. IOH. KOEPPEN. *Dec. 54. n 83.* VULT. *d. tr. lib. 1. c. 10. n. 72.*

§. XXVIII.

Domini Dir. Consensus requisitio communis 1. Nuda ergo actûs, contractûs, vel negotii, quo res feudalis purè alienatur, & traditur, denunciatio Domino facta, neque ad Consensum Domini inducendum, neque ad effugiendam, aut excusandam pœnam privationis sufficit; Sed ille à Vasallo alienante decenter & reve-

reverenter exorato Domino immediato, à quo Vasallus feudum recognoscit, regulariter impetrari debet. MOD. PIST. *P. 4. qu. 137. n. 1. 2. 3.* BERLICH. *II. concl. 29. n. 74.*

2. Attamen eundem, si sub conditione hunc consensum impetrandi dispositum, contractum vel negotium gestum, & hujus reservationis in instrumento alienationis confecto mentio facta, ipsumque in personâ petere Vasallus impeditus sit, illô ostensô, cæterisque suo ordine paribus, & solenniter factis, etiam Creditor, vel Emtor, Cessionarius, Legatarius, Donatarius, Gener vel ipsa uxor, cui Dotalitium constitutum, à Domino precari & exoperari potest. *Practica.*

§. XXIX.

Sed ex Ordinatione, & Praxi Gloriosmi Consilii Imperii Aulici AMBÆ partes circa feudum contrahentes pro impetrando Consensu ad alienandum & hypothecandum rem feudalem Imperatori Rom. Invictmo unà cum exhibito in Originali, vel avthentica formâ Agnatorum Consensu, nec non conventione, vel contractu principali simul supplicare tenentur. Horum enim essentialium requisitorum uno vel altero v. gr. Agnatorum consensu deficiente interloquitur Consilium Imp. Aul. stylo communi: *ut* (supplicantium Agens) *apponat agnatorum consensum.* VFFENB. *in Tr. de Conf. Imp. Aul. c. XI. § 10. n. 136.* His & cæteris autem non adimpletis, & plane deficientibus à Prælaudato Archi-Dicasterio Supplicatio rejicitur consueto Concluso: *Petitum non habet locum.* R. H. Ordn. FERD. III. *tit III. §. 14.* conf. COMP. PRAX. IMP. *Aul. p. 17. 18.* & BREVIC. PRAX. IMP. *Aul. tit. 17.* add. GAIL. *II. Obs. 1. n. 11.* *Specialis in Consilio Imper. Aulico.*

§. XXX.

1. De illo autem Consensu Domini, verè impetrato, manifestè constare debet, sive expressus sive tacitus sit. Quia Domini, tam quoad servitia sibi à Vasallo præstanda, quàm casum aperturæ, semper interest, ne feudum oneretur. *Consensus Dom. affectiones formales veritas & perspicuitas:*

2. Hinc consensus ambiguus, & qui solo nutu fit, non sufficit. Quia nutus motum animi & possessionem plane non prodit, adeoque ipsi in causis præjudiciosis, qualis est alienatio feudi, omnino fidendum non est. *l. 1. §. 2. de V. O.* Et ideo Consensus, quoniam facti, probari debet. CARPZ. *in Ipr. Eccl. II. Def. 42. n. 7. 8.* *Ejus disparatum.*

§. XXXI.

1. Regulariter in oppignoratione feudi validâ Consensus Domini requiritur expressus, & adæquatus, qui est intellectûs & voluntatis Judicium, seu unita approbatio verbis, vel aliis signis perfectis *Pignoris in feudo valor substantialis*

ex consensu Expresso tam Domini; & apertis v. gr. nuncio, vel Epistolâ, à Domino circa destinatam & conventam alienationem rei feudalis partibus disponentibus & petentibus solenniter declarata. Germ der Will-Brief, Lehensherrl. Bewilligung, cujus formulam verborum in Appendice hujus Dissertationis annectimus; rationem autem assertionis fundatam & probatam reperimus dispositione Juris feudistici tam Communis, *2. F. 55. & ibi Interpp.* quam Saxonici, uti patet *ex Ord. Proc. Judic. tit. 46. §.* So lassen wir auch. conf. HARTM. PIST. *p. 2. qu. 48. lib. 2.* CARPZ. *P. II. Dec. 176. n. 1. seqq.*

quàm Agnatorum aut Coinvestit. dependens. 2. Et huic Obligationi pignoratitiæ, imprimis separatim factæ, ad ejus validitatem quandoque, veluti in feudis avitis & paternis, nec non novis, nomine antiqui concessis, etiam Consensus Agnatorum, & Coinvestitorum adjungi debet, juxta eandem normam feudalem GENERALEM, *2. F. 39 & 45.* HARTM. PIST. *I. qu. 15. n. 21.* MYNS. *Dec. 14. R. 6. n. 3.* KLOCK. *Consf. 154. n. 41. & n. 101.* & SPECIALEM. *Gl. in Sächsis. Lehn-R. c 55. n. 6.* CARPZ. *in Jpr. F. C. 46 Def. 8. n. 15.*

Limitatio 3. Nisi natura & qualitas rei, aut loci consuetudo recepta contrarium pronuncient.

§. XXXII.

Assertionis Probatio ex Consensus uni foritate & disparitate 1. Unde mera Contractûs feudalis, v. gr. Emtionis-Venditionis, cui hypothecæ, pro residuo pretii non soluti, speciale pactum insertum est, à Domino facta ratificatio simul consensum ejus in pignoris constitutionem impertitum haudquaquam inducit DAN. MOLL. *lib. 1. Sem. 4. n. 4.* ANDR. RAVCHB *p. 1. qu 6. n. 54.*

ex diversitate pignoris Civilis & feudalis 2. Quamvis enim de Jure Civili pignus specialiter, licet extrajudicialiter constitutum, quod Venditor rei immobilis ob non solutum pretium in re venditâ ante ejus traditionem conventionaliter, sive pacto expresso, & Contractui Emtionis-Vendit. vel inserto, vel in continenti ipsi annexo sibi reservat, nihilominus absque requisito consensu Magistratus, vel Judicis validum sit, firmoque juris & prioritatis privilegiatæ contra anteriores & posteriores Emtoris Creditores, hypothecâ generali, eâque judiciali in ejus rebus præsentibus & futuris munitos, effectu gaudeat: quoniam lex pignoris, utpote pars Contractûs Emtionis-Vend. *L. legem. 10. C. de Pact.* hujus naturam adeo qualificat, ut jure Contractûs simul subsistat. AFFLICT. *Dec. Neap. 306. & ibi Cæs.* VRSIL. *n. 5.* CARPZ. *in Jpr. for. II. Const. 23. def. 17.* nec facilè periculum decipiendi, vel præjudicium tam à parte Venditoris quàm Emtoris subesse potest. Cum inprimis præsumtio pro Venditore, eum non aliâ lege Jus suum, quam tali pignoris conventione & securitate fretus, transferre voluisse, militat. *L. ult. C. de Pact. int. Emt. & Vend.*

Usu fori receptâ 3. Cui Regulæ, & rationi Juris Civilis respondet etiam fori Saxonici approbatio WESENBEC. *p. 1. Consf. 39. n. 7.* ANDR. RAVCHB. *p. 1. qu. 6. n. 25. Ord. Proc.*

Proc. Jud. Sax. tit. 42. in pr. & ibi ZIEGLERVS, nec non Jus Francofurtense, communiter dictum *Reformatio. P. tit. §. & argt. Ren. Ord. de Not. §. 10.*

4. NISI Emtor prædii sit Minor, qui in eo, sibi tradito, pignus Venditori extrajudicialiter constituit. Quandoquidem illud, absque expresso consensu & Decreto Magistratus prævio, ideo invalidum est; quia ubi dominium quæsitum est Minori, eo momento cœpit, quod illud à Minore obligari nequeat *per text. notab. l. 1. §. ult. D. de reb. eor. qui sub tutel.* Ratio rationis est, quod minor absque Decreto non possit rem suam pignori tradere *L. magis puto. 5. § si pupillus. L. 7. §. 3. D. eod.*

Lim. quid si Minor Emtor pignus constituat?

§. XXXIII.

1. Attamen intuitu diversitatis inter Jus Civile & Feudale, alia quoque ratio est Alienationis tam in Re allodiali, quàm Feudali. In illâ Venditor de Dominio pleno liberam; in hàcce verò, tanquam Vasallus, de dominio tantùm utili restrictam tenet disponendi potestatem. In illâ duarum tantum partium Emtoris, & Venditoris, Debitoris & Creditoris &c. consensu mutuò res expeditur: in hâc vero, nempe feudali alienatione, præcipuè trium, & interdum quatuor, imo plurium partium contrahentium, nimirum non tantùm Emtoris, & Venditoris, vel Debitoris & Creditoris &c. sed etiam Domini Directi & sæpius Agnatorum, vel simultaneè investitorum, quandoque etiam Domini supremi & Jurisdictionis Consensus verus & adæquatus ad essentialem actûs, Contractûs vel negotii stabilitatem concurrere debet. CARPZ. *de Oner. Vas. feud. Dec. 2. Pos. 1. 2.*

Assert. ulterior probatio ex difformitate alienationis Civilis & feudalis

2. Cujus necessitatis scaturigo in formalitate Obligationis feudalis consistit. Etenim, vi hujus nexus reciproci, feudum nec Dominus absque Vasalli consensu alii concedere, nec illud Vasallus absque Domini permissu alienare, & ita nec oppignorare potest.

ex ratione correlativa nexus feudalis

3. Quare in aprico est, quod ad substantiam pignoris in feudo constituendi Consensus Domini Directi immediati necessario requiratur expressus HARTM. PIST. *Lib. I. qu. 15.* sive illud pignus separatim in securitatem Mutui, sive conjunctim in Contractu v. gr. Emtionis-Vendi respectu pretii ex illo residui, vel aliús rei depositæ vel creditæ fiat; sive etiam feudum novum sive vetus, sive proprium sive improprium sit. Siquidem feudo aperto dominium utile consolidatur cum Directo, & feudum ad Dominum revolvitur.

ex autoritate opinionis communis

4. Inde est, quod Creditor mutuam ad feudi Emtionem pecuniam dans, quamvis hypothecâ privatâ, Consensu Superioris Domini firmatâ sibi caverit, nec tamen omnino securus, neque prælationis ante cæteros Vasalli Creditores tacitam vel expressam hypothecam anteriorem vel posteriorem Consensu Domini immediati munitam haben-

Hinc cautela Creditoris securitati serviens

tibus, capax esse possit; NISI mutuum, & constitutio hypothecæ ipsam Emtionem Venditionem præcesserit, & Dominus feudi immediatus expressè consenserit: CARPZ. *Part. I. Dec. 56. per tot. & Dec. 64. per tot.*

§. XXXIV:

Effectus requisiti Domini Consensus in Onere feudali constituendo.

1. Quo magis hinc certum est, quod Feudum pignore, sive separatim, sive conjunctim constituto, aut reservato, sine Domini consensu in præjudicium ejus onerari nequeat, tanto minus Venditor, aut Creditor negligentes esse debent, ut in ejusmodi pignus, pro securitate pretii non soluti, vel aliùs rei conventum, Domini consensum expressum unà cum Vasallo Emtore vel Debitore exorent & impetrent.

2. Cum in hoc præcipuè maximum robur latet, & tam pignus quàm debitum feudale, tam actio hypothecaria adversus debitorem & quemcunque tertium, quàm privilegium prioritatis principaliter fundatur, adeo ut ex hoc ipse Dominus ejusque successores feudo sibi, vel ipsis aperto teneantur, Debitum, tanquam onus feudale, cum accessorio inseparabili vel solvant, vel Creditorem jure suo uti patiantur IAC. SCHULTZ. *in add. ad Mod. Pist. p. 3. qu. 120. n. 24.* & in add. *ad* ROTSCHÜTZ. *de Dot. Act. 26. n. 14.* CARPZ. *P. I. Dec. 76.* FACHIN. *lib. 7. Contr. Jur. c. 56.* RICHT. *Dec. 79. n. 27. seqq.* FINCKELTH. *disp. 9. th. 12.*

§. XXXV.

Requisitionis Consensus Dom. ad pignus feudale neglectæ præjudicium

1. Minimè ergo ex eo simul impetratus Domini Consensus in constitutionem hypothecæ Contractui principali pro securitate pretii non soluti, vel aliùs rei promissæ aut debitæ, adjectæ tacitus, nedum expressus præsumendus est, si Dominus contractui ad ratihabendum & confirmandum unà cum utrinque petitione exhibito consentit, factâque resignatione, Emtorem feudo investit. Quoniam Consensus, secundum naturam rei & actus interpositus, intelligendus est, *l. insulam. D. de præscript. verb. l. damni infecti 43. verb. & quod in stipulatione. D. de damn. infecto. l. 4. §. verum D. de Usur.* adeoque ad Emtionem-Vend. concessus, non illicò ad pignoris inserti causam præjudicialem extendi potest, aut debet. MATTH. de AFFLICT. *& alii Interp. in c. imperialem. de proh. feud. alien. per Frid.* Cum Emtio-Venditio atque Pignus non inseparabilium, sive eorum, quæ necessario ex contractu veniunt, sed separabilium ordine habentur ARL PINELL. *in l. 1. p. 3, n. 12. C. de bon. matern.* DAN. MOLLER. *l. c.* Quare Dominus, contractu Emtionis Vend. confirmatô, Emtorem investiens, non statim eô ipsô in pignus, pro pretio non soluto adjunctum, con-

consensisse censendus est ROSENTH. *c.9. concl. 45. in Syn. Jur. feud.* RAVCHB. *l. c.* CARPZ. *de Oner. Vas. feud. Dec. 2. Pos. 6.*

2. Nisi ei Contractui principali pactoque hypothecæ inserto v. gr. dafür dann das verkauffte Lehn-Guth N. zum kräfftigsten Unterpfand bis zur gäntzlichen Ablage und Vergnügung des verglichenen Kauffschillings oder Haupt-Geldes und davon rückständigen Zinsen stehen und hafften soll rc. immediatè mentio consensûs Domini decenter implorati expressè adjecta sit verbis: Jnmassen Lehnsherrl. Consens und Bewilligung darein unterthänig ausgebeten worden rc. Quibus pignus reservatum ob præsumtum ex Domini facto, & subsecutâ Contractus confirmatione Consensum quodammodo sustineri potest. Uti in Scabinatu Lipsiensi responsum & in Senatu Appellat. Elect. Saxon. judicatum esse allegat CARPZ. *IV. Resp. 29. n. 15. in fin.* *Præjudicii evitandi Cautela.*

§. XXXVI.

1. Quanti igitur referat consensum Domini expressum, & adæquatum in alienatione feudi ritè impetrare, & de eo evidenter constare, ea magni momenti jam eruenda quæstio eo fortius differenabit: Quod nimirum ille Consensus pignori vel hypothecæ separatim, vel conjunctim expressè applicatus, quamvis ad certum tempus limitatus, & impertitus, termino elapso, quoad pignoris effectum & onus feudi non evanescat, sed virtute extensivâ pignori adeo inhæreat, ut ex eo non solum tertius, & quicunque feudi possessor, sed & ipse Dominus, casu aperturæ, & feudo sibi delato ad æris alieni exsolutionem ex bonis feudalibus præstandam prorsus etiam obligetur. Debito enim circa lapsum termini à Vasallo non solutô, pignus pro eo in feudo cum Domini (& agnatorum vel Coinvestitorum) consensu, quanquam restricto, semel & licitè constitutum, Creditori nihilominus illæsum, debitumque onus feudale manet. *Quæstionis Enodatio de Consensûs Dom. in feudali pignore ad tempus limitati, eo elapso, quà Onus feudale, effectu & duratione*

2. Equidem communi voto effatum Juris Interpretum & Dd. sonat: CONSENSUM DOMINI in pignore feudi ad certum tempus datum, illo finito extingui. ANDR. ISERN. *ad d. c. imperialem. in add. 1. n. 5. de probibit. feud. alien. per Frid.* SCHRAD. *p. 8. c. 4. n. 17. seqq.* Quam regulam ita dictam multi de præjudicio pignoris & Creditoris valde rigidè interpretantur; quod nimirum elapso tempore, &, prolongatione ulterius non impetratâ, Jus pignoris sive onus feudale extinctum sit, præprimis adjectâ clausula cassatoriâ vel reservatoriâ. ROSENTH. *in S. J. F. c. 9. M. I. concl. 18. n. 1.* quia consensûs limitati, & ad certum tempus restricti ea sit natura, ut limitatum producat effectum DD. *in c. imperialem. II. F. 55.* CARPZOV. *in Ipr. for. II. Const. 23. def. 24. n. 7.* ideo quod permissum ad tempus, post tempus prohibitum censeatur *L. 31. D. de Oper. libert. L. 38. §. 3. de Leg. III.* MARPVRG. *P. I. Cons. 26. n. 219. & p. 2. Cons. 29. n. 162.* *Opinio Contraria*

3. Atta-

Opinionis contrariæ destructio
α) ex Juris & salutis publ. Antilogia
β) ex ν... pignoris ... citi
γ) ex mente contrahentium & paciſc.
δ) ex Oppoſiti ſimul veri impoſſibilitate
ε) ex indigentiæ comm. afflictione
ζ) ex alienationis licitæ effectu

3. Attamen his, uti ad rem inadæquatis, non obſtantibus, illi Regulæ hunc ſenſum indefinitum & generalem non eſſe, neque eum ſanâ Juris ratione applicari & defendi poſſe, verius, firmiusque ratiocinandum eſt. α) Cum iſte Juri, rationi, æquitati naturali, negotii naturæ, commercio, & utilitati publicæ, imo humanitati atque communi indigentiæ è diametro planè contrarius ſit. β) Nam pignoris in feudo cum conſenſu Domini licitè conſtituti ea perpetua, & eſſentialis natura eſt, ut Creditorem ratione crediti tamdiu ſecurum reddat, donec illud cum cauſa ſolutum ſit. γ) Hoc principium & finis eſt tam contractus pignoratitii inter Debitorem & Creditorem, quàm pacti adjecti inter Dominum pignori conſentientem, & Vaſallum debitoremve bonâ fide initi, cui obligationi citra læſionem Juris & æquitatis nulla pars directè vel indirectè obniti quit. δ) Etenim ſi hic effectus pignori detraheretur, nullum pignus eſſet, alioquin citra veritatis teſſeram Contradictoria ſimul vera ſtatuenda eſſent, nec ideo ullus pignoris circa feudum uſus & commercium extaret. ε) Et quis pecuniam ſuam in eum caſum jacturæ daret, crederetque Vaſallo, etiamſi in extremo neceſſitatis, honoris & famæ ſitus eſſet, ſi illud Jus pignoris in feudo licitè conſtituti, termino indulti Conſensûs elapſò, ſimul exſpiraret. ζ) Atqui alienatio ſive oppignoratio feudi, cum conſenſu Domini celebrata, valida eſt. *c.1. §. ſi vero. de alien. feud.* Idcirco ex eo fit, & immotè ſequitur, quod hujus effectus tam reſpectu Debitoris, quam Juris in feudo realis quæſiti nunquam extinctus videatur. Cum hypotheca ſemel licitè conſtituta perpetuam illam conditionem in ſe habet, ſi ſolutum ſit debitum, aut aliter eô nomine ſatisfactum, quibus ceſſantibus tenet, ſcil. hypotheca rem ipſi ſubjectam. *L. 13. §. 4. D. de pign. & Hypoth. l. 9. §. 3. D. de pignor. Act. l. 59. D. ad SCt. Trebell.*

η) ex malo intellectu limitatis Conſenſus

4. η) Cui obſtare nec poteſt, nec debet, quod Conſenſus Domini ad certum tempus ſive certos tantum annos datus ſit. Quia hujus limitationis non ille finis & Effectus eſt, neque eſſe poteſt, quod eâ Jus pignoris, tempore defluente & finito, in damnum Creditoris auferatur & caſſetur. Hoc enim ſemel conſtitutum perpetuum eſt, & manet Jus in feudo reale, donec debitum ſolutum ſit. Id quod probat ipſa definitio Conſenſus Domini, quæ in ſe & naturaliter non ſolùm ſolennitatem extrinſecus adjectam, ut quidam Dd. illum obiter deſcribunt, ſed & obligationem, & promiſſionem quâ Creditor, circa lapſum termini Debitore non ſolvente, & feudo poſthac Domino aperto, à periculo ſui Crediti tutus, pignorisque in feudo per-

Ratio rationis I.

perpetuitas

petuitas salva redditur. Dum enim Dominus contractui, feudum afficienti, suum consensum accommodat, cogitat simul, imò cogitare debet, feudum ad se revolvi posse. Ex quô certum apparet indicium, quod ejus intentio non alia fuerit, quam ut secundum naturam negotii consentiret *argt. l. 4. pr. D. de Usucap.* Jam vero ea, respectu pignoris, in hoc præcipuo consistit, ut tamdiu maneat pignus, donec debitum sit solutum. Etenim in hujus securitatem Domini Consensus præprimis requiritur, & dandus est, illumque effectum operari debet, ut debitum quovis casu eveniente, & termino consensûs licet cesso, & elapso, validè tamen ex feudo exigi, ipsumque feudum absque alio Domini consensu Judicis sententiâ distrahi possit & debeat *t. t. D. & C. de distr. pign.* MATTH. DE AFFL. *Dec. 335. n. 19. & 20.* HARTM. PISTOR. *P. 1. qu. 15. n. 55. seqq.* SCHRAD. *p. 8. c. 4. n. 28. de feud.*

II. III.

9) ex scopo & adæquato intellectu Consensûs limitati tam quà Debitoris & Creditoris quàm ipsius Domini interesse.

5. Quare istius Regulæ, & Limitationis ad certos annos adjectæ justus sensus nequaquam est, neque esse potest, ut finitô illô tempore Jus pignoris in feudo dilabatur & rumpatur, sed ejus *limitati consensus* longè alia, vera, justa, & æqua, rei & negotii naturæ conveniens sententia hæc est, & esse debet; quod sicuti Creditori de certâ crediti sui restitutione curæ est, & ideo terminus solutionis ratus inter Creditorem & Debitorem stipulatur, & promittitur, quô hic pecuniâ creditâ quietè & absque molestia interim uti frui; ille vero de tempore solutionis, vel, hâc cessânte, actionis certus esse possit: Ita Domini directi quoque intersit, ut Feudum isto pignore & Onere eò citius eximatur, & Vasallus in hoc reluendo, aut Creditor in eo urgendo, & exigendo non esset negligens, nec, feudô sibi fortè aperto, illud Onus reale simul ad se, vel suos hæredes revolveretur. Quapropter consensum suum ad certum limitat terminum, ut, eô elapsô, Creditor & Debitor (se Domino inscio) illum contractum pignoris inter se non prolongarent, sed Debitor Vasallus, præstitâ solutione feudum liberet, aut, eâ non factâ, Creditorem jure suo pignoris uti patiatur; Creditor verò ejusque hæredes, Vasallo Debitore, aut hujus hærede non solvente, statim ad immissionem, vel distractionem pignoris agant. Ea enim hujus natura & finis præprimis requirit, ut Debitore moram trahente immissio fiat, & pignus vel distrahatur, vel etiam addicatur. *L. à Divo Pio 15. §. in Venditione 2. & §. si pignora 3. & §. sic quoque 8. D. de re judic.* Quandoquidem etiam hoc ipso præjudicium Domino non infertur: sive feudum pignoratum alii personæ, feudi capaci, à Judice publicè vendatur; sive Creditori in solutum tradatur. Etenim Dominus consentiens pignori, etiam in

 ejus

ejus consecutiva, nimirum immissionem & distractionem feudi consensum suum præbuisse, & proinde etiam novum Vasallum idoneum respuere, nolle censendus est. HARTM. PISTOR. *lib. 1. qu. 15. n. 57. 58.* Quoniam eô ipso Creditori, solutionem absque Domini dispendio acquirenti, & Domino satisfit. Namque feudum ab onere liberatur, & à novo Vasallo eadem Domino fidelitas & servitia præstantur, quæ ipsi à priori Vasallo præstanda erant.

Consensus Domini in pignore limitatus non absolute sed secundum quid intellig.

6. Ex quibus satis superque perspectum, exploratùmque est, quod Consensus Domini limitatus non effectum limitatum generalem, seu absolutè talem, sed tantùm limitatum sensum, specialem & secundum quid in eo habeat, quod non limitet naturam pignoris in feudo constituti cum effectu extinguibili in damnum Creditoris, verum & solùm potius restringat negligentiam Debitoris & Creditoris, eorumque vigilantiam & operam ad feudi liberationem obliget in Debito solvendo vel exigendo, Quæ forsan secum altius commeletantem, & rigorosum aliàs, contrariamque sententiam tenentem ROSENTHALIUM moverunt, ut, eo elapsi temporis in Consensu limitati casu, Conclusioni sensa mentis annectendo: vix est, si Creditor in oppignoratum feudum petat immissionem & ejus distractionem, ut impediri debeat &c. se ipsum limitaret. *in S. J. F. c. IX. concl. 18. n. 11. in fin.*

§ XXXVII.

Progressus ad definitionem quæstionis aff. tendens.

1. Hæc jam demonstrata quæstioni superiori incidenti, ut si feudum cum Consensu Domini (& agnatorum vel simultaneè investitorum) ad certos annos restricto oppignoratum, & non solùm à Debitore ad tertium translatum sit, sed & circa termini lapsum, vel eô finitò, vel institutâ atque durante Creditoris actione, Domino apertum fiat, ad eos quoque sive illius, sive hujus hæredem aut successorem Onus illud feudale simul devolvatur, iique vel ex feudo pignorato æs alienum solvere, vel pati, Creditorem jure suo uti, teneantur, ad ejus affirmationem confirmandam eo largiorem addunt faculam.

Confirmatio ex Consensus Dom. effectu quâ se ipsum vinculantem

2. Dominus enim consentiens alienationi sive negotio, super re suâ perfecto, non solùm renunciasse juri suo, quod aliàs in istâ re tenet; quôve actum illum, quocunque genere, præpedire poterat *argt. l. 4. §. 12. D. de Doli Mal. & Met. except. l. 2. C. de remiss. pign. l. 38. §. 1. de Donat. int. vir. & uxor. l. 11. C. de fideic.* sed & ipsum actum, & jus alienum eo validius roborasse, suumque, quod ad actum impugnandum habuit impertito consensu perdidisse judicatur. Idcirco Debitum, in quod consensum suum infudit, ex feudo sibi aperto omnino solvere

vere factô suô obstrictus est; ac si ipsum actum seu contractum celebrasset. Cum Consensus illius non tam ratione personæ obligantis Vasalli, quam potius ejus, cui res feudalis obligata, imploratus & impertitus sit. MATTH. DE AFFLICT. *Dec. 112. n. 8. & ibi Cæsar.* VRSIL. *in Add. n. 9. conf. Dec. Neap. 355. n. 1.* MYNS. *Dec. 14. R. 4. n. 45. & Dec. 13. R. 2. n. 170.* MICH. TEVBER. *P. I. qu. 45. n. 3.* *quà Creditoris jus quæsitum*

3. Quod autem limitatio illa ad certum tempus in Consensu Domini indicata, & expressa etiam quà obligationem Tertii & Domini eorumque Hæredes & successores, eô cursu temporis finitô, pignoris sive Juris realis in feudo radicati extinctionem nequaquam contineat, nec efficere possit, ex eo ulterius, uberiusvé liquidissimum fit, quod per Consensum Domini illa obligatio pignoris adeo confirmata sit, ac si ipse quoque Dominus feudum pro Debito oppignorasset. Consentit enim in alienationem & oppignorationem rei suæ non quà proprietatem, sed quà jus illud, quod ipsi, feudo sibi delatô & dominio utili cum Directo consolidatô, extra oppignorationem alias liberum, competeret. Ex quo sequitur, quod Dominus ejusque successores contra factum proprium venire nequeant. *argt. l. 5. D. de pact. dotal.* HARTM. PIST. *lib. 2. qu. 48. n. 14. seqq.* ZANG. *de Exc. Part. 3. c. 26. n. 298. seq.* FINCKELTH. *Disp. 9. th. 12.* *Ratio rationis stringens*

4. Nec adversæ sententiæ patrocinium, aut Dominum adminiculatur, quod Consensus ejus impertitus sit cum adjunctâ clausula cassatoria: salvo jure feudali: Germ. Jedoch ihm dem Lehn-Herrn an seinen Rechten, und Lehns-Gerechtigkeiten gemäß auf allen Fall unnachtheilig und unverfänglich. it. Und soll diese Unsere Verwilligung nach Endigung mehrberührter 12. Jahr ihre Endschafft haben. Illâ enim non obstante tam Tertius quàm ipse Dominus ejusque hæredes sive successores, feudo ad se per mortem, vel delictum Vasalli devoluto, ad exsolutionem debiti ideo obstricti sunt, quod eâ clausulâ Jus pignoris, utpote licitè & perfectè in feudo constitutum, minimè labefactetur; SCHILT. *ad Jus feud. c. 11. §. 13. p. 108.* Etenim impossibile est, ut quis uno momento consentire, & dissentire possit. *L. ult. C. de novat. l. 27. §. pactus. 2. D. de pact.* CARPZ. *de Oner. Vas. feud. Dec. 2. pos. 3.* SIRYCK. *in Diss. de Salvo Jure Princ.* *Dubii de Clausula Cassatoria s. Reserv. adjectâ explanatio*

5. Veruntamen eâ adjectâ clausulâ nihil aliud intelligitur, veréque intenditur, quàm ut non solùm Jus Dominii Directi, & quodcunque aliud, Domino in feudo alias extra concessionem istam competens, illæsum conservetur, sed &, tam præcisâ oneris prolongandi occasione Creditori consulatur, ut is, moram trahente Debitore, *Ejus clausulæ genuinus sensus.*

tore, suô Jure & actione reali instituendâ ad feudi liberationem amplius non impediatur; quàm termino præfixo, Debitor Vasallus certiùs admoneatur, ne omissâ interim solutione, & feudi pignorati liberatione, cô terminô finitô, Creditori agenti, vigore pignoris, ad ejus solutionem aut immissio, aut distractio feudi decerni debeat. AFFLICT. *in c. 1. §. quid ergo. n. 3. de investit. de re alien. fact.* ROL. A VALLE *Vol. 3. Cons. 3. n. 73.* HARTM. PIST. *lib. 2. p. 2. qu. 48.* AVG. BARBOSA. *de Claus. Usu frequent. Claus. 139.* Quod ipsum innuit totum negotium, & intentio pignoris in feudo constituti, de quo absque repugnantiâ dici nequit, quod eodem actu, quo pignoris constituti rata validitas confirmata, etiam simul illa rursus ablata, ejusque infirmitas asserta sit: quia hæc contrariantur intentioni bonâ fide contrahentium & paciscentium. VIVIVS *P. 4. Dec. 534. n. 29.* P. HEIG. *p. 2. qu. 20. n. 1. 7. 13. 14. seqq.*

Αὐτολογία amplior ex Consensus natura regulata quæ est vel stricta vel lata

6. Et licet aliàs Consensus stricti Juris quoad non expressa & verbis ejus non comprehensa dicatur ANDR. DE ISERN. *n. 5. in fin.* PRÆPOS. *n. 4. in fin. in d. c. imperialem. II. F. 55.* imo strictissimi interdum Juris esse Consensum, ajat HARTM. PISTOR. *lib. II. p. 2. qu. 49. n. 6. quæst. Jur.*

7. Attamen pro natura contractûs, à quo Assensus regulatur, Consensus non tantum strictè, sed etiam latè & latissimè accipiendus, & interpretandus est, docente CAMERAR. *ad d. c. imperialem. p. 342. 350. 374. & maximè 385. de prob. feud. alien. per Frid.* NARDO *ad Isern. d. c. imperialem. n. 5. & 6. in addit. ad verb.* RIGOR. *p. 639. & 640.*

consensus lati affectio

Certus enim est iste secundum leges intellectus, consensum, ceu pactum, naturam contractûs, cui adhibetur, & in quem influit, regulariter assumere; BVRSAT. *cons. 163. n. 22. 23.* FACHIN. *p. 3. lib. 7. c. 57. argt. l. si stipulatus. 4. §. verum. D. de Usur. & ibi* GOTOFR. *L. non tantum. 5. D. ratam rem haber.*

consensus lati applicatio

Ideoque illum in pignoribus aliisque contractibus bonæ fidei ἐν πλάτει intelligi, & cum laxamento ad consecutiva & contractus executionem extendi debere indubitatum & expeditum est. BALZAR. *in d. c. imperialem. n. 35. vers. sed videtur.* BALD. *in l. 3. §. sed utrum. n. 2. D. de Minor.* AFFLICT. *Dec. Neap. 335.*

& ejus complexus

Siquidem in his expressa non ea solum dicuntur & intelliguntur, quæ verbis exprimuntur, sed & quæ vel ex mente vel conditione, & natura contractûs, negotii, sive causæ deprehenduntur, & æquâ interpretatione secundum Jus commune fieri debent. CAMERAR. *l. c. p. 411. & 494.* SIGISMVND. LOFFRED. *Cons. 7. n. 11. 23. & 42.* KIRCHOV. *var. Resp. T. 1. Cons. 30. n. 35.* eleganter GOTOFR. ex BALD. *ad l. si stipulatus. D. de Us. & fruct. in lit. c.*

8. Etenim

8. Etenim verissimum est, quod Consensui Domini, adhibito feudi oppignorationi, insit Pactum, licet non expressum, tamen tacitum, & proinde certa Obligatio scil. de non contraveniendo: vi cujus illud, quod semel approbatum, in damnum alterius reprobari nequit. SERAPH. DE SERAPH. *Priv.109.n.8.9.* In quo fundatur porro illa Regula: quod Consensus Domini faciat Contractum valere omni meliori modo KLOCK. *III. Consf.154.n.41.*

Ratio rationis

9. Quæ Regula ex immotâ ratiocinatione, à Consensus verâ formâ derivatâ, promanat. Siquidem consentiens tradit voluntatem suam in alterius voluntatem, & quasi possessionem: nec illam altero invitô retrahere potest, nisi altera pars velit, & retradat suam voluntatem in ejus, qui consensit, voluntatem. Hâc enim retraditione voluntatis tandem Pactum rescinditur. Atqui Dominus, qui consentit in hypothecam feudi, tradit simul voluntatem in Creditoris voluntatem & qs. possessionem. Ergo illam invito Creditore retrahere nequit; sed manet voluntas consentientis Domini vinculata in voluntate & possessione Creditoris, donec Creditor desinat esse Creditor h. e. donec illi solutione debitâ satisfactum fuerit. MYNS. *Dec. 14. Resp. 4. n. 43. 44.* Idcirco illâ clausulâ, quamvis subnexâ, Consensum Domini tamen Jus Creditoris in ejus Crediti præjudicium non alterare, neque perpetuitatem pignoris diminui, aut impediri, sed illum Consensum virtute operandi, finito etiam tempore, pignori quoad ejus naturalem & legitimum effectum omni modo adhuc incubare manifestum est.

αἰτιολογία ulterior ex Consensûs causa formali ejusque vinculo.

10. Et quamquam huic ex veritatis jam ac Juris visceribus deductæ sententiæ solidius assertæ, ejusque strenuo Promacho HARTM. PISTORI, HENR. A ROSENTHAL. *in Syn. Jur. feud. Concl. 18, n. 4. seqq. cum aliis Jur. feud. Interpp. & Dd.* contrariam sectans enixe contradicat, eumque comitans ANDR. KNICHEN. *in tr. de Vestit. Pact. P. III. c. 1. n. 125. seqq.* istam negativam masculè propugnet; eorum tamen allegatæ & à KNICHENO variis phaleris nimis exornatæ rationes, utpote in se tantùm apparenter probabiles & minus adæquatæ, nec rem exhaurientes, imo menti contrahentium, requirentium paciscentiumvé, atque ipsius rei genio contrariæ, uti omnium illarum accuratior monstrat consideratio, tanti valoris non sunt, ut præsentem saniorem sententiam aff. attenuare vel evertere possint.

adversæ Opinionis argumentorum summaria Remotio

11. Atque hanc eandem novissimâ consuetudine Germaniæ receptam, ut æquiorem & solidiorem rectius affirmant VULT. *de Feud. I. c. 10. n. 114.* HEIG. *d. qu. 20.* KIRCHOV. *var. Resp. T. 1. Cons. 33. n. 102.* CARPZOV.

Sententiæ nova & in Germania recepta Autoritas

CARPZOV. *in Jpr. for. P. 1. C. 46. D. 11.* KLOCK. *T. II. Conf. 16. n. 158.* FINCKELTH. *Disp. Feud. 9. th. 12.* STRYCK. *Diss. de Obl. feud. conf. Dom. mun. c. 4. n. 181. seqq.*

eaque publica. 12. Veluti in hanc ipsam, ut veriorem, Juri & rationi magis consentaneam Facultas Jurid. Colon. Agripp. JCti cum rationibus dubitandi & decid. ad requisitionem Ducalis Bipontini Regiminis Anno 1673. responderunt, illamque modo laudatum Palatinum Dicasterium eodem an. d. 13. Jun. litem decidendo approbavit, & dehinc in superiori Instantia Illustrissima Camera Imperialis An. 1683. d. 13. Dec. rejectâ Appellatione, Latâque Paritoriâ confirmavit, nec non posthac, quamvis ex adverso omnia Argumenta, contrariam opinionem sectantium, Doctorum nitidissimâ elaboratione, tanquam opima fercula, toties recoquerentur, eorum tamen nullâ habitâ ratione, pronunciatâ d. 1. Febr. 1715. in causâ, cujus nos Actoribus patrocinamur, (& cujus inter alia objectum huic Dissertationi annexum Consensûs Exemplar) P. de B. & hæredum, contra B. V. G. plenâ Paritoriâ, & reiteratâ pœnæ declarationis, & executorialium comminatione penitus consolidavit.

Quæstionis Conclusio 13. Quibus dilucidatis Quæstionis allatæ & ventilatæ affirmativa Conclusio veritatis basi stat omnino certior, & firmior, quod hypotheca sive pignus in feudo cum consensu Domini expresso, licet ad certos annos cum clausula cassatoriâ vel reservatoria adjectâ limitato constitutum, eô tempore elapsô, sicuti consensus ipse, quoad ejus virtutem operandi, non exspiret, sed perpetuum quoad effectum maneat, donec Creditori vel ejus hæredi agenti, & à suâ parte non negligenti ex feudo, ære alieno solutô, per omnia satisfactum sit, adeoque Debitor Vasallus, sed & tertius, & quicunque feudi possessor, proinde quoque Dominus ipse, feudo sibi aperto, obligatus sit, ut Creditori, vel illius hæredi ex feudo pignorato Debitum, sive sortem cum intresse moræ reddat, aut eum Jure suo uti, illius immissionem fieri, aut feudum distrahi patiatur.

§. XXXVIII.

Effectus Pignoris & hypothecæ in feudo licitæ primarius Prone hinc & immotè fluit, quod Creditor pignus, consensu Domini contractum, possidens, jure retinendi, feudumque autoritate Judicis, acquirendæ solutionis ergo, distrahendi gaudeat; Creditori verò Jure hypothecæ licitæ tantùm munito, nec eam possidenti, competat, actione, etiam contra tertium vel ipsum Dominum possidentem, quasi Servianâ, sive Hypothecariâ experiri *argt. II. F. 13. l. si fundus 16. §. 3. D. de pign. & hyp. Coll. Jur. Argt. ad eundem tit. de pign. §. 21.* HEIG. *I. qu. 20.* RICHT. *Dec. 78. n. 33.*

§. XXXIX.

Secundarius quà accessoria inseparabilis 1. Cum autem hujusmodi actio omne illud, quod Actorum interest, complectatur, ex eo sequitur, quod illâ etiam usuræ, pensiones, sive intresse, ratione sortis debita, simul rectè exigantur. Quoniam pignus, quod memoratam

actionem

actionem causat, bonæ fidei contractus est, *L. 5. C. de pignor. & §. 28. Inst. de bilia tam Action.* In his autem à tempore moræ usuræ & intresse debentur, MYNSING. *generalis ad. 28. Inst. de Act.*

2. Quod in oppignoratione feudi eò minus ambigui habet. Dominus enim in pignus pro sorte constitutum consentiens, etiam in pignorationem ejus, quod ratione hujus sortis interest, sive usurarum pro eâ juxta naturam contractûs citra pactionem debitarum simul consensisse judicatur HARTM. PISTOR. *lib. 2. qu. 49. quæst. jurid.* CARPZOV. *de Oner. Vas. feud. Dec. 2. Pos. 4.* Quamvis expressa usurarum & intresse in contractu mentio facta non fuerit. Ejusmodi enim Consensus contractui bonæ fidei adhibitus cum extensione ad connexa, & consecutiva, prout Juris ratio postulat, intelligi debet BALZARAN. *in d. c. Imperialem. n. 35. II. F. 55.* ROSENTH. *IX. Concl. 19. n. 3. & 8.* Dn. I. H. de BERG. *II. Resp. 90.*

3. Id quod in tantum etiam valet, ut solutum prius in usuras, deinde in sortem acceptoferendum *l. 5. §. 2. vers. eidem autem & l. 48. § ult. de solut. & liber. l. 31. D. de pignor. act. l. 21. C. de usur.* Et quanquam scriptum sit in sortem & usuras accipere creditorem, tamen prius in usuras, deinde in sortem cedet, quod solutum est. *l. 5. § ult. l. 6. D. de solut. & liberat.* SICHARD. *ad d. l. C. eod.* VIBELI. *in Meth. Jur. Civ. lib. 24. c. 10. qu. 1. Reg. II.* *quàm specialis qui est I. usurarum li- citarum privilegium.*

4. Unde Feudum onere illo pignoris seu hypothecæ, cujus causa individua est, *l. rem hæreditariam. 65. D. de Evict.* non liberatur, nisi omne Debitum, nimirum sors & pensiones vel intresse, pro quibus feudum obligatum est, omnino soluta sint *l. solutum non 11. §. 3. & l. si necessarias. 8. §. ult. D. de pign. act. l. grege pignori 13. §. ult. D. de pign. & hypoth.* HECT. FELIC. *in tr. de Societ. c. 15. n. 26. seqq.* *II. Pignoris individuitas.*

5. Quarum, lite motâ & contestatâ, usurarum & intresse cursum non definere, etiamsi lite pendente & judicatâ sortem æquarint, & alterum tantum excesserint juris expediti est. *l. lite contestatâ. 35. D. & l. 13. C. de Usuris.* Quia durante causâ, (nimirum morâ solvendi, & cupidine potius litigandi) durare etiam debet effectus, qui est intresse moræ *arg. l. semper 5. §. negotiatores. D. de Jure Immun. C. J. A. ad tit. D. de Usur.* Quandoquidem morositas Debitoris non debet conditionem Creditoris deteriorem reddere, sed meliorem. Et exercens actionem, lite contestatâ, potius meliorem suam facere conditionem censetur *per l. non solet. 86. & l. nemo enim 87. D. de R. J. & ibi Interpp.* ZANG. *de Except. P. 3. c. 25.* CARPZOV. *in Pr. Crim. P. II. Qu. 92. n. 53. 54. seqq.* *III. Cursus usurarum quâ alterius tanti excessum.*

§. XL.

Quid Juris an detur in feudo pignus tacitum vel fictum

1. Ex quo amplius est, quod in feudis tacitæ hypothecæ, cui Domini consensus non intervenit, regulariter locus non sit MYNS. *Cent. VI. Obs. 45.*

2. Negandum tamen non est, quod tacitum pignus, fructus feudi afficiens, etiam tacente lege interdum fingi possit. Veluti in pacto locationi conductioni adjecto, vi cujus conductor rem conductam egredi non teneatur, donec ipsi pecunia, loco Cautionis deposita, à Vasallo vel ejus hæredibus restituta sit. Cui, vigorem taciti

pigno-

pignoris inesse censuit Anno 1654. Facultat. Jur. Viadr. referente BRVNNEM. *Cent. 2. Dec. 45.* conf. ANT. FAB. *in Cod. lib. 8. tit. 7. Def. 7.* add. ZAVNSCHLIFF. *Comm. ad Mev. p. 7. Dec. 49.* Dn. I. H. de BERGER. *II. Resp. 158.*

3. Similiter uxori, loco Dotis Marito Vasallo notoriè inferenti, & numeranti 4000. imperiales, quibus Maritus ædes feudales, bello dirutas, vel flammis consumtas, necessario ædificaverit; æque etiam alii Creditori, pro pecunia vel forte egr. 2000. imperialium, Vasallo notorié & bonâ fide solutorum, quos hic ad necessariam extructionem aggerum, quibus solum feudale, inundationi damnosæ quotannis obnoxium, cingendum erat, impendit, quanquam huic & illi pro securitate pecuniæ restituendæ hypotheca vel pignus expressum cum consensu Domini à Vasallo Marito & debitore, fortè morte necopinâ prævento, non constituta fuit, ipsis tamen ratione suæ pecuniæ illatæ & creditæ propter rem in feudum ejusque necessariam conservationem, utilitatem, & meliorationem notoriam verè & evidenter conversam, ideo in feudo ipso FICTVM PIGNVS cum privilegio prioritatis adjudicandum esse Juri & rationi omnino consentaneum est. Licet enim feudum sine consensu Domini in ejus præjudicium alienari nequeat: Quandoquidem vero Dominus, feudo ad se revoluto ad illud æs alienum, in feudum necessario & utiliter versum, urgente Juris ratione tenetur; Idcirco eum fictione legis in illud consensisse rectè judicari videtur. Uti idem sentiendo concludit LVDOV. MOLIN. *de Jur. primog. lib. 1. c. 10. n. 18.* PEREGR. *de Jure Fisci lib. 5. n. 144.* ROSENTH. *c. X. concl. 43. n. 178.* add. MEV. *p. 2. Dec. 155.* HEIG. *II. qu. 20. n. 35. 39. seqq. & 42.* CARPZ. *de Oner. Vasall. feud. Dec. 3. & 4.* ANDLER. *in Corp. Const. Imp. Tom. II. verb.* Aussteuer. STRYCK. *de Jure Viduæ nob. Sax. c. 2.* KLOCK. *Vol. 3. Consf. 124. n. 118.*

§. XLI.

Temperamentum in Consensu Dom. non requirendo unde fluat.

1. Cæterum sicuti hæc necessitas consensum Domini adhibendi in se complectitur prohibitionem alienandi feudum, cujus causæ tam in superioritate, quàm in proprietate nexus feudalis ejusque integritate conservandâ consistunt: Ita cessantibus, vel temperatis iis causis feudi tam majoris, quam minoris alienationem non prohibitam esse, neque eam, Domino inscio, factam, Legis animadversioni obnoxiam fieri indubitabiliter perspectum est.

Ejus locus communis 1.) in alienatione

2. Atque eâ ratione 1.) sine consensu Domini impetrato feudi alienatio licita fit in eum, jus in isto feudo ex primâ investiturâ habentem. Veluti si Agnato, licet remotiori, feudum Vasallus vendat vel refutet; aut Parens uni filiorum in testamento feudum novum adscri-

adscribat, aut aliâ alienationis figurâ tradat. Siquidem Vasallus suis Descendentibus feudum sive novum, sive antiquum absque periculo amissionis, omisso Domini consensu, validè refutare potest *c. un. II. F. 49.* SCHENCK. *in pr. II. F. 39.* WESENB. *de Feud. c. 11. n. 6.*

feud. agnato vel filio facta

3. Etiamsi statuto omnis Contractus, non consentiente Domino, sit prohibitus. VULT. *de feud. I. c. 10. n. 133. 135.* KIRCH. *var. Resp. T. II. cons. 19. n. 17. 18.* Quia hâc alienatione translatio feudi non fit in extraneum, nec contemtum Domini involvit.

Ampliatio

4. Nisi feudi investitura contemplatione filiorum omnium, eorumque meritorum, Patri à Domino concessa sit *per text. L. si quis Attio 7. & ibi Interp. D. de usufr. accresc.* ROSENTH. *c. IX. concl. 66. de feud.* RHET. *de feud. I. c. 321. n. 5.*

Limitatio

5. Porro 2.) irrequisito Domino licita est feudi in dotem traditio Marito ab uxore facta *II. F. 13. & 17. l. 1. C. de Jur. Dot.* FINCKELTH. *Disp. F. 9. §. 18.* quia hâc ipsâ non fit vera alienatio, sive translatio Dominii Utilis, sed Jus ipsum feudi in persona uxoris residet. VULT. *de Feud c. 10. n. 60.* ROSENTH. *9. concl. 9.*

β) in feudi traditione Marito ab uxore facta

6. Nisi ea traditio regularem feudi naturam excedat, nec sub specie æstimationis, aut pacto lucrandi dotem fiat, quæ vim alienationis veræ obtinent *II. F. 13. l. 5. C. de Jur. Dot.* H. PIST. *Obs. 230. n. 21. 22.* STRYCK. *de Succ. ab Int. Diff. 4. c. 2. §. 2. 3. 4.*

Limitatio

7. His adde 3.) quod sicuti absque consensu Domini & agnatorum & Cognatorum feudi utilitatem & commoditates Vasallus alienare & in solutum dare: *argt. §. 1. Inst. de Usu & Habit. l. 66. de Jur. Dot.* SERAPH. DE SERAPH. *de privil. Juram. priv. 98. n. 10.* Ita Pater filiæ loco Dotis, etiam inscio Domino, legitimè cedere valeat fructus feudi GAIL. *1. Obs. 36. n. 11. & Obs. 117. n. 7.* MYNSING. *C. IV. Obs. 86. n. 6.* FINCKELTH. *in Disp. Feud. 9. th. 18.* quippe per hanc Concessionem fructuum Jus reale in feudo cum dominii Utilis translatione non constituitur, sed sola Obligatio, quâ persona Vasalli, ejque in allodio & feudo simul succedentium, afficitur.

γ) in alienatione fructuum feudi

8. Similiter 4.) insalutatô Domino Hypotheca, quæ nudâ conventione & absque tradita possessione fit, in feudo, citra feloniam & discrimen privationis, Creditori à Vasallo constitui potest. Quia in hac finis dispositionis feudalis cessat *II. F. 52. & 55.* BORCHOLT. *in Comm. in Us. feud. c. 8. n. 60. seqq.* GYLM. *Symph. T. 4. Vot. 3. n. 87.* idcirco & ipsa prohibitio Dispositionis quoad hypothecæ constitutionem cessare videtur. D. IOH. FICHARDVS *T. 1. cons. 5. n. 5.*

δ) in mera feudi hypotheca

9. Nisi postea, Domini consensu itidem non interveniente, feudum distractum, aut Creditori ipsi traditum fuerit. HOTM. *cons. 31. n. 9. 10.* BESOLD. *p. 2. cons. 57. n. 271.* ROSENTH. *IX. concl. 25.*

Exceptio

10. Prætereà 5.) absque consensu Domini implorato, jure tamen ejus Dominii Directi salvo, feudum in extraneum licitè alienatur, si illa alienandi facultas AVT ex receptâ consuetudine provinciæ, & loci competat; Eô enim casu mos regionis, vel Curiæ vice autoritatis Domini, tacitè consentientis, fungitur; sicuti feuda in Gallia instar patrimoniorum sunt, & absque Domini licentia impune alienari & vendi possunt, testante BOER. *Dec. 114. n. 12. & Conf. 42. n. 5.* ROL. A VALL. *Vol. 1. Cons. 42. n. 24.* AVT Vasallo à Domino expresso & specifico pacto, investituræ inserto, indulta sit; *II. F. 84.* NATTA *tom. 3. Cons. 682.* ROSENTH. *c. IX. concl. 40.* Etenim huic alienationi autoritas Domini, mediante conventione, fit associata. SERAPH. DE SERAPH. *de privil. Juram. priv. 1. n. 72.* quum per istam alteratur feudi natura. CVRT. Jun. *cons. 108. n. 17.* MENOCH. *Resp. Finar. 2. Art. 4. n. 79.* Dn. I. H. de BERGER. *P. 1. Resp. 142.*

ε) in consuetudine loci peculiari

ζ) in pacto speciali Investitura inserto

11. Parili

a) in feudo mere hæreditario

11. Parili ratione 6.) Alienatio & Oppignoratio feudi citra consensum Domini & Agnatorum, licita & valida perficitur, illæso tamen illius dominio directo si feudum merè hæreditarium, sive investitura pro se & hæredibus masculis & successoribus quibuscunque datum sit, *II. F. 48.* VIVIVS *lib. 4. Dec. Neap. 528. n. 4.* Quoniam in hoc feudo improprio nexus feudalis, quà necessitatem adhibendi consensum Domini, ex speciali hujus concessione, & privilegio, Vasallo temperatus & remissus esse videtur; adeoque illius alienationem nec legis prohibitio, consequenter nec Dominus, nec agnatus, nec eorum hæredes aut successores impedire, mutare, vel tollere valent, sed eam agnoscere & sustinere debent. ROSENTH. *c. X. concl. 45.* STRYCK. *in E. J. F. c. 4. qu. 46.* MAVRIT. *p. 2. cons. 7. n. 78.*

11. In tantum, ut si per excadentiam ejusmodi feudum Domino aperiatur, illud cum omni onere ad eum redeat, ipseque Creditores loco Vasallorum habere, & iis satisfacere teneatur BVRSAT. *cons. 171. n. 12. Vol. 2.* Quia hujus feudi alienationi & pignorationi autoritas Domini, & Consensus, mediante illa speciali concessione, quæ Domini vox est, semper intervenire censetur.

12. Unde & non solum in ejus fructus, sed & ipsum Jus & Utile Dominium executio pro ære Vasalli alieno, consensu Domini licet non accedente, nec curato dissensu Vasalli, ab Ordinario Judice validissimè fieri; ROSENTH. *IX. concl. 16.* & proinde illius nulla vindicatio aut revocatio citra omnem controversiam nec Domino, nec Agnatis, nec filiis competere potest. ROSENTH. *de feud. c. IX. concl. 72.*

§. XLII.

a) in casu Consensus requisiti sed injustè recusati.

Congruè pullulascens spectat huc eâdem ex radice Consectarium: Quod si Dominum Vasallus de ejus Consensu ad Feudi alienationem honorificè appellet, atque de illâ impetrandâ licentiâ pro Viribus crebro allaboret, Domino illius voto nihilominus renutante, Vasallus in eo conatu, ut sibi, suisque consulat, vel in alia honesta, justa, vel majori causâ existens, ideo absque denuo proximante requisitione Feudum impunè & validè alienare, & vendere possit: modo, Domini jure salvo, peracta sit Alienatio; ROL. A VALLE *T. 4. cons. 56. n. 16.*

2. Similiter Vasallus, si Dominus consensum in pignus feudale ipsi promiserit, & eundem, dehinc reverenter, & ritè interpellatus, absque legitima causa denegaret, eô ulterius irrequisitô, Feudum citra animadversionem pignori, vel hypothecæ validè dare queat.

3. Cujus alienationis Feudi liberæ ratio in cessatione causæ prohibitivæ latet, Siquidem eo ipso, dum debitus Domini Autoritati litatus Honor fuerit, Vasallus ex sua parte obligationi, & legi feudali satisfecisse, suoque Juri liberam alienandi facultatem (salvo tamen Jure Dominii Directi) certò quæsivisse putandus est. Quandoquidem cessante Domini contemtu, necessario etiam prohibitionem Legis de non alienando vel pignorando Feudo cessare vidétur. Præsertim cum Dominus legitimè requisitus moræ reus factus, eâque tempestivè non purgatâ Vasallus proinde pro excusato omnino habendus est. ROL. A VALL. *Vol. I. cons. 97. n. 60. seqq.*

§. XLIII.

Via digressus

Sed cum necessitatem impetrandi Domini consensum niti in autoritate Domini supra monuimus; ad ejus pervestigationem sequenti capite tractandam jam. D. A. progrediamur.

CAPVT

CAPUT II. DE AUTORITATE DOMINI

§. I.

PErſpectâ Conſenſus Domini neceſſitate, ejusque temperamento, & Effectu, ſane ejus ex hac compendiosâ adumbratione, plures enim paginæ de illius ambitu adhuc implendæ eſſent, abunde innoteſcit, quantus Domino habendus ſit reſpectus, & quid valeat ejus Autoritas. Operæ igitur pretium eſſe de hujus Directi ſcil. ut & Eminentis, & Utilis Domini Autoritate, differentia, affectione & efficacia quædam in medium proferre duximus. *Scopus Methodi.*

§. II.

1. Ad hanc illuſtrandam Domini autoritatem, quæ in naturâ Dominii, ejusque veris cauſis intrinſecis, & extrinſecis principaliter fundatur, Origo Dominii eruenda eſſet, circa quam veterum & neotericorum Scriptorum diverſæ enatæ ſunt ſententiæ: *Autoritas Domini veſtiganda in Origine Dominii.*

2. Sed miſſis iis, quorum conatus in eam opinionem incidit, quod à mundi incunabilis, & lapſu Protoplaſtorum prorupto, communio rerum poſitiva vulgò Platonica, hominibus placuerit, quâ, velut cunctis unum patrimonium fuiſſet, & proprium pluribus pro indiviſo uſum præbuiſſet communem IUST. *Hiſt. lib. 43. c. 1.* MACROB. *I. Saturn. 8.* Cum enim ea ratio vitæ dominium circa res commune, atque indiviſum, inſimul autem veterum ſomnium de Aurei ſeculi conditione præfigurare videtur: Hæc illorum idcirco imaginatio inconveniens, quippe rerum ejusmodi communio ne quidem in ſtatu integritatis, multo minus poſt Adæ lapſum, contemplatis diverſis hominum temperamentis, concinnam vivendi rationem habuiſſet, & potius diſcordiæ, plurimæque confuſionis ſuſcitabulum, vitæ futuri improvidæ pabulum, atque auctis hominum familiis pacis magis, & tranquillitatis excidium fuiſſet, quamque ideo appetitus humanus, cui proprium ſibi quietè habendi cupido ingenita eſt, reſpuiſſet. *l. 77. §. 20. D. de Leg. II. l. 2. C. quando & quib. quart. pars. deb.* FRANC. SUAREZ. *de Leg. lib. 2. c. 20. n. 8.* merito exploſa eſt. HEIG. *in Comm. ad Inſt. Jur. de R. D. in Rubr. n. 4. ſeq.* STRAUCH. *in Diſſ. de Imper. Mar. c. 1.* *Primordialis communionis poſitivæ exploſio*

3. Miſsâ quoque aliorum meditatione, qui, præſuppoſitâ circa mundi infantiam communione negativâ, facto ex eâ diſceſſu, dominia rerum Originariè, & immediatè non aliter introducta eſſe ſentiunt, quàm pacto & conventione Hominum tacitâ vel expreſsâ, cauſam immediatam Dominii circa res terreſtres in ordine ad alios homines Deo, ejusque conceſſioni abjudicantes, *Opinionis de pactitia Dominii origine remotio.*

 4. Cujus

4. Cujus ſententiæ infirmitas ex eo apparet, quod ad Jus dominii in res creatas primitus ſtabiliendum, non hominum, ſed DEI ſummi, Omnium rerum Creatoris, expreſſum factum & Conſenſus præprimis requirebatur: ad quam divinam directionem poſtidea demum homines factum ſuum in rerum occupatione & complacitâ earum diviſione accommodarunt. Abſque enim divinâ conceſſione neque Adamo, neque alii, illô prognato, licuiſſet, minimam rem apprehendere, & ſibi propriam habere: ſicuti hoc DEI omnipotentis dejectio de poſſeſſione & Dominio Paradiſi Protoplaſtis, legis divinæ temeratoribus, inflicta apertè confirmat. Neque rem altera adverſæ opinionis ratio exhaurit, quod homines naturaliter inter ſe æquales ſint, & omnibus par in Creaturas Jus competat. Quoniam ex inſtituto tam divino, quàm naturæ & Gentium in dominio prima & potior cauſa eſt occupantis: cujus apprehenſio eum effectum moralem, & obligationem ad alium reverà producit, ut alter ab iſta re, quam prior occupavit, abſtinere teneatur, adeoque quemvis primum terræ, vel rei nullius occupatorem ad eam ſibi quietè habendam pacto vel conventione tacitâ aut expreſſâ accedente opus non habuiſſe, conſentaneum eſt.

§. III

Vera Dominii Origo ab Autoritate DEI.

1. Tutiori proinde viâ ei ſociamus nos ſententiæ, cujus evidentia ex veritate Sacri Codicis infallibili & Judicio rectæ rationis reſplendet. Siquidem illa DEI ſupremi conceſſio, quâ Jus in res terreſtres terræque dominium primis hominibus non nudè, ſed realiter attributum fuit, omnem diſceptationis ſerram, quam de Origine Dominii trahunt Moraliſtæ aliique Dd. penitus tollit. Cum certo certius inde promicat, Deum O. M. hoc ipſo, quo, ab Orbis geneſi, ejusque poſt cataclyſmum reſtauratione, Hominum poteſtati & uſui ſive (quod his æquipollet) dominio univerſam terram, resque terreſtres mancipavit, etiam conſenſiſſe in rerum diviſiones, facultatem occupandi, & res ſibi proprias poſſidendi cum excluſione alterius.

ejus probatio

2. Quæ res clarè dilucet, *partim* ex illo inſtrumento primæ inveſtituræ à DEO ipſo ſolenniter, mediante traditione, conſtitutæ Adamo ejusque deſcendentibus *Gen. I. v. 26. 28.* & poſt diluvium illius Trinepotis Pronepoti Noæ, hujusque filiis & poſteris, *Gen. IX. v. 2. & 3.* *partim* ex immiſſione Adami in poſſeſſionem Paradiſi.

illuſtratio a) ex Paradiſi ſitu ejusque ſcopo

3. Quoniam hæc addictio terræ particularis, quæ, uti ob declivitates nemorum, & ſoli planitiem atque ubertatem fertiliſſimi & amœniſſimi ſitus, ita intuitu quatuor perlabentium ibi ex mutatione alvei rigantis fluminum, non anguſti, ſed ampliſſimi, ſatis commodi, clauſtrisque circummuniti diſtrictûs, cujus tranſitus vel præcipitio faucium vel alio fortiſſimo impedimento prohibitus, portaque tantùm unica, fuit, ſedem ejus patrimonii, & dominatus conti-

nebat

nebat. Quod illustre utique præbet documentum Dominiorum, & proprietatum divisionis à DEO ipso præstitutæ, nec non in communionis omnium rerum positivæ Patronos Anabaptistas eorumque satellites redargutionem.

§. IV.

b) ex idea modi vivendi in statu integritatis tam Generalis;

Non enim sentiendum, modum, etiam in statu integritatis, vivendi fuisse laboris expertem, aut duntaxat voluptuosum. Cum illa forma Imagini nequaquam responderet divinæ. Ast incunctabile est, quod ratio illa integritatis eo magis provida, &, licet ærumnarum, πλεονεξίας, & invidiæ planè vacua, tamen semper aliquid agens extiterit, quo virtute & perfectione minus deficeret.

§. V.

quàm specialis quà imperantes & parentes.

1. Neque etiam somniandum, quod Adami descendentes absque regimine adeo laxati vixissent, ut quilibet Principem egisset, nulli obtemperans, neminem audiens: quod nullos casus dubios, crescentibus hominibus, eorum vita receperit, qui non consilium aut judicium Sapientis desiderassent. Verum, sanæ rationis duce facilè penetrandum, quod sicuti hominum sexus, ingenia & temperamenta naturaliter cernuntur diversa, nec non cum ætatibus crescant vires corporis & animi: Unus alacrioris, alter segnioris, tertius sedatioris, quartus gloriosæ, quintus simplicioris, sextus acrioris & sapientis, & sic amplius, sit indolis; adeoque fœminæ, juniores, ruricolæ, opifices, aliusque generis homines auxilio Sapientum in multis rebus necessario indigerent; E contrà vero Viri Seniores & inter eos Sapientes scientiâ, gloria ingenii, fortitudine, & acrimoniâ prudentiæ reliquis cæteris præstarent:

2. Ita quoque ordo iste concinnus, naturâ jubente, simul editus Hominibus fuerit, ut, veluti Paterfamilias ex jure sibi competentis dominii personas naturâ subjectas in familia, & domo; ita quoque auctis & congregatis familiis Senior, & Sapientior in quavis Universitate, veluti regione, civitate, pago, & sic porro, ex illa AUTORITATE, quâ naturaliter pollebat, & omnes in sui reverentiam, amorem & obsequium spontaneum trahebat, tanquam CAPUT incolas gubernasset, ipsosque doctrinâ, consilii sapientiâ, & fortitudine judicii adjuvisset, & tutius esset.

Hujus fulcrum in sensu Investituræ divinæ litterali; & mystico.

3. Etenim hoc specialis Investituræ, ulterius prænotando demonstrat formula, quâ ex præscripto divino Adamus, uti Princeps familiæ, & à se descendentium; ita Dominus terræ sibi traditæ obligatur לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ h. e. ut illum Paradisum sive tractum terræ amœnum coleret, & custodiret. *Gen. II. v. 15.* Quâ succinctâ Oratione à DEO ipso forma Dominii bene constituendi, imò prototypus status gubernantium, & parentium vel etiam nexus Directi & Utilis Dominii quâ materiam & Finem manifesto delineatur: DEO Jus suum eminentissimum sibi reservante: *Lev. XXV. v. 23. Ps. XXIV. v. 1. Dan. II. v. 21.*

§. VI.

Dominii Naturalis causæ externa & interna;

1. Dominii igitur humani originem in ordine ad alios homines, quà causam efficientem principalem & finalem, ad DEUM ipsum ejusque concessionem, quà materiam, formam & modum, ad hominum simul

ſimul apprehenſionem, occupationem, & diviſionem rectè referri in aprico eſt. Quippe ad dominii à DEO tam ADAMO quàm NOACHO eorumque filiis, & poſteris in terram univerſam conceſſi formalem conſtitutionem factum Hominis neceſſariò accedere debuit, cum aliàs dominium de homine dici nequiret. *l. 3. §. 1. l. 23. D. de A. vel A. P.* LUDW. *ad §. 5. Inſt. de Interd.*

definitio; 2. Illud enim, quod verè NATURALE dicitur, eſt Jus ex conceſſione DEI, omnium rerum Autoris, in univerſum terraqueum, resque terreſtres, aqueas & aëreas hominibus primis, eorumque poſteris principaliter traditum, atque ab his, communione negativâ poſthabitâ, primitus & ſucceſſive, mediante occupatione, & poſthinc diviſione, vel etiam accedente pacto, & ſucceſſione ita in rebus ſingularibus cum excluſione alterius, vel aliorum acquiſitum, ut res illæ quæſitæ ad alium alióſve eôdem modô in ſolidum non pertineant, nec ab alio citra injuriam invadi, vel eripi poſſent, quæ uni vel Univerſitati jam forent eſſe ſua, & propria.

3. Eâ huic ratione verius quadrare illud videtur effatum: naturam generaſſe Jus commune, uſurpationem vero feciſſe Jus privatum AMBROS. *Off. lib. I. c. 28.* SELDEN. *de J. N. & G. lib. VI. c. I.*

illuſtratio exemplo Caini & Abelis. 4. Quod exemplo Caini & Abelis ſtatim cernimus comprobatum. Quorum quilibet quæſtui reifamiliaris ſeparato ſtudebat, & hoc ipſo uterque diſtinctum ſibi dominium in eo conſtituit, ut iſte cum territorii, planitie, pratis, rivuliſque opportunè diſpoſiti, occupatione pecuariam in armentis jumentiſve eorumque ad agriculturam & victum applicatione faceret; Abel verò regione, interjectis convallibus, montoſâ pabulo minoris pecoris atque ovium caprarúmve incumberet.

quæſtio de lite poſſeſſionis à Caino mota. 5. Forte etiam Cainus, quem avidiorem ad rem, ſe laborioſo accingentem Operi ruſtico, fuiſſe videtur, iſtud infelix & truculentum jurgium Abeli ideo moverit, credibile eſt, quod hic limites territorii à Caino poſſeſſi fors grege ſuâ pabulandâ attegiſſet. Cum terminos agris Cainum poſuiſſe prodit IOSEPH. L. *Arch. 3.* add. STRAUCH. *l. c. n. 7.*

§. VII.

Dominii ſingulorum Primordia; 1. Augmentatis poſthinc familiis ea poteſtas & dominium rerum, ad commodiorem eorum uſum, inter homines ex jure illo divino & judicio rectæ rationis ita ampliatum, & diviſum, ut hominum placito hæc protinus eorum naturaliter fierent, qui primi rerum poſſeſſionem apprehenderint, *l. 1. §. 1. D. de acquir. poſſeſſ.*

illius requiſita formalia 2. Hæc autem Originaria acquiſitio, ſicuti non nudo actu, ſed ejus perfectio, ac vis trium abſolvitur requiſitorum connexione, videlicet: ut res occupanda ſit nullius; eaque ſub dominium huma-

num

num cum alterius justâ exclusione cadat, ac denique externô signô vel facto sufficienti ab occupante intentio sibi habendi, & possidendi declaretur:

3. Ita istoc Occupatori jus, & AVTORITATEM tribuebat, ut de his suis rebus plenissimâ facultate, liberoque arbitrio disponere, easque, nullo impediente, usibus suis quovis modo aptare, vel etiam, harum, aut ex his quarundam factâ aliis hominibus permissione, vel collatione, sibi ipsos lege subjectionis ad fidelitatem, operas, & servitia adstringere possent. SELD. *d. lib. VI. c. 1. de J. N. & G.* *Autoritas*

4. Atque hoc erat *dominium singulorum*, ut vocant, jure naturæ ortum COVARR. *in reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 8.* aliàs Absolutum, Plenum & Vulgare liberum & Particulare dictum, particulariter, sive singulariter tam ad personas, quàm ad rês relatum suas; de quo loquitur textus *in §. singulorum. Inst. de R. D.* Quod est plena proprietas cum libera potestate de re legitimè alienandi & disponendi; uti definit BARTOL. *in l. si quis vi. §. differ. D. de acquir. vel Am. poss.* PAVL. DE CASTR. *in l. proprietatis. in pr. C. de probat.* Illud autem cum facultate imperandi & distribuendi conjunctum primis temporibus quilibet gerebat Paterfamilias, sive Princeps familiæ, qui in quadam terræ parte sedem suam apprehendendo, vel casam aut domum ibi extruendo fixerat. *Descriptio Synonymica Realis Subjectum.*

5. Is enim, qui in primæva ætate domum ædificabat, ideo Dominus, sive Domûs moderator, & Imperator audiebat, sub cujus potestate reliquæ personæ subjectæ continebantur. *Domini descriptio nominalis*

6. Ejus autem naturale dominium subjectionis & dignitatis subibant VXOR. *Gen. III. v. 16. c. 15. caus. 33. qu. 5.* LIBERI VTRIVSQVE SEXVS. *argt. l. 1. §. 2. D. de V. S. & ibi Alciat.* MINISTRI, FAMVLI, SERVI, SERVÆQVE. *Gen. XII. v. 15. 16. XIV. v. 14. XVII. v. 25. l. 215. D. de V. S.* OPILIONES, *Gen. XIII. v. 7. 8. 9.* CLIENTES qui VEL ministri, & famuli emeriti propriam casam, & familiam sibi exstruentes; VEL peregrini, & advenæ circa possessionem & territorium Domini sua tuguria promoventes, omnes verò in ejus fidem se sub vinculo honoris mutuæque defensionis dederunt. HEIG. *in Comm. ad Inst. Jur. de R. D. in Rubr. n. 14. 15.* *primævus status.*

§. VIII.

1. Ad similitudinem hujus Dominii Domestici, multiplicatô ulterius, & in varias universitates, populosque Hominum genere distributô, pacis & Justitiæ in civili societate conservandæ gratiâ ex dictamine rationis, & consensu Hominum tacito vel expressô introductum est Dominium Plenum, *Superius*, & *Eminens*, seu Publicum, *Dominium Universitatis ejus Ortus & causa;*

alias

alias Dominium Universitatis, & Jurisdictionis vocatum. *l. 5. D. de J. & J.* LVD. MOLIN *de Just. & Jur. tr. 2. Disp. 3. n. 8.* KIRCHOV. *var Resp. Tom. V. conf. 24. n. 186.*

Subjectum; 2. Quod primitus Uni, vel pluribus, quorum Justitia, Pietas, prudentia & experientia Omnibus nota, & perspecta *Deut. I. v. 13.* imprimis vero Seniori tribuebatur; SIVE ille sibi naturaliter acquirebat, qui primus terræ possessæ Occupator, SIVE primus Genitor à se descendentium familiarum, & in Universitatem consociatarum, AVT fundamenta pagi, Civitatis & Reipublicæ posuerit, AVT incrementis operam suam adjunxerit insignem. KNICH *in Encyclop. c. 1. n. 14. 15. 20.*

Ratio formalis 3. Penes eundem, tanquam Nobilem, vel cæteris Nobiliorem, idcirco erat Regimen & Autoritas rem gubernandi publicam, & reliquis, ut subditis, imperandi, noviter acquisitam terram sub onere operarum, servitii, aut vectigalis distribuendi, Leges ferendi, in litibus vel circa limites, vel alios casus dubios jus dicendi, adversus injuriam privatam, aut publicam illos totamque ditionem defendendi, fœdera cum vicinis dominationibus, ad concordiæ & tranquillitatis publicæ nexum, pangendi, peregrinos in civitatem recipiendi, iisque sub conditione tributaria quæstum communem concedendi. Uti hoc in sensu HEMOR prædicatur DOMINVS TERRITORII Sichemitici. *Gen. XXXIV. v. 2.* similiter BRVNONIS Saxonis Successores, *Domini de Brunswic*; & dehinc etiam DVCES appellati. KNICH. *d. tr. c. 1. n. 22. 26. seqq. 125.*

Objectum: tam Generale & Speciale;

quam specialissimum. 4. Potissimum penes quosdam erat simul Jus sacerdotii, & sacra administrandi, aut circa ea disponendi. Quales sequioribus seculis Celtarum DRVIDAS fuisse memoriæ proditum est. *Gen. XIV. v. 18.* add. BODIN. *de Republ. lib. II. c. 2. n. 189. & lib. 3. c. 8. n. 353. seqq.*

§. IX.

Nobilitatis hinc primæva Origo & Progressus 1. Sed cum istorum Seniorum filios atque Descendentes, qui antiquæ Nobilitatis seminaria fuerunt, cupido gloriæ, & Regiminis invaderet, posthabitô Senioratu, freti avitis paternisque rerum opibus copiisque Hominum sibi devinctorum firmati, jure hæreditario, & Successionis illam superioritatem Dominii capessierunt, nec contenti hujus finibus, eos ulterius prorogare, adeoque principalem in se suosque derivare potestatem anhelarunt. SELDEN. *lib. sing. de Succ. ad Ebr. in bon. defunct. proleg.* BODIN. *l. c. 6. de Republ.*

2. Nec defuit ipsorum dominationi prosperitas successûs, aut cœli clementia: quippe corporis eorum, animique fortitudo ac simul acrimo

acrimonia civilis prudentiæ, quâ ipsi הַגִּבֹּרִים אֲשֶׁר מֵעוֹלָם אַנְשֵׁי הַשֵּׁם seu viri celeberrimi, & Domini potentes cluebant: *Gen. VI. v. 4. X. v. 9.* spem omnium de felici sub eorum regimine vitâ civili inflabat, cunctosque adeo in admirationem, amorem, & obsequium facile invitabat, ut populus tacito consensu, ex rectæ rationis cum vita sociali conformitate promanante, ipsis summam dignitatem & potentatum adstrueret: SELD. *de J. N. & G. l. c. 1.* BODIN. *de Rep. lib. 2. c. 2. n. 193.* VINN. *ad §. 2. Inst. de J. N. G. & C.*

§. X.

1. Veruntamen ea superior dominatio, licet, crescentibus Hominibus, & eorum malitiis, ad eos justitiâ gubernandos, & constringendos securitati & emolumento vitæ civilis in se magis congrua & necessaria, pedisequam habebat invidiam, quæ ex opulentia, & rerum potestate oriri solet. Hæc fax erat bellorum, æmulosque excitabat. CIC. *Fam. IV. Ep. I.* *Dominii Eminentia necessitas & accidentia;*

2. Quandoquidem plerique Dominorum, ambitione, & inhiatione allecti, qui titulo posthinc etiam insigniri regio, illam potestatem, suamque Autoritatem ampliare, novis etiam terris bello, vel alio modo acquisitis, eas militum, & subditorum suorum possessionibus, & usufructui sub nexu servitii, aut tributi cedere, atque munimento ita subjectorum se suumque dominatum stipare contenderunt fidelium. *Incrementi modus.*

3. Ex hac itaque origine vetustissimâ frequens usus esse cœpit, ut ii κατ' ἐξοχὴν DOMINI postea compellarentur, quibus suprema potestas, & Juris & Imperii & Regalium in Civitate erat. Et ideo etiam Principes, DOMINI; veluti Æneas, Dominus, Romani, rerum Domini, VIRGILIO *Æn. I. v. 286.* Imper. Trajanus, Dominus, Plinio salutantur; & Antoninum, Dominum vocatum refert Marcellus *in l. penult. D. de his, quæ in Test. dele. l. 9. D. de L. Rhodia. l. bene à Zenone. 3. C. de quadrien. præscr.* Sic *MAJESTAS* enunciatur DOMINIUM, cujus Observationem subditi & fœderati Principi aut Reipubl. debent: aliàs DOMINIUM JURISDICTIONIS dictum, de quo Hermogenianus loquitur *l. 5. D. de J. & J.* add. GROT. *de J. B. & P. lib. I. c. 3. §. 1.* BODIN. *de Republ. lib. 2. c. 2. n. marg. 189. circa fin. & seqq.* Unde etiam, Jure primogenituræ à Veteribus Germaniæ Principibus inducto, Protogenus, qui Successor ditiones paternas jure solido sibi vendicabat, DOMINUS, der Herr insigniebatur, reliqui fratres Juniores, Juncker, nominitati fuere. KNICHEN. *in d. Encyclop. c. 1. n. 195. seqq.* *antiquissimum hinc axioma Principum*

§. XI.

Majestatis ex successivo Dominii Eminentis augmento Ortus

1. Facile hinc colligendum venit, quo jure & ratione Dominiorum qualitas, & Autoritas excreverit, ut ex Dominio domestico, tanquam scaturigine, quà formam & materiam, Dominia familiarum, & SINGVLORVM distincta; atque èx harum congregatione Civili DOMINIVM VNIVERSITATIS cum Jurisdictione, & Imperium concinnatum. Et sicuti hæc Universitas diversi, & multiplicis habetur ordinis: Ita ex Universitate Minore, veluti pago, vico, successive DOMINIVM CASTRI: ex Castri extensione, & multiplicatione DOMINIVM OPPIDI, & CIVITATIS compositum: porro ex mensura duarum vel quatuor Urbium & oppidorum, computatis castris, pagis, & villis DOMINIVM REGIONIS susceptum: Insuper ex Civitatibus vel quinque, vel octo, vel decem, vel undecim, vel tredecim in majorem universitatem collectis, aliisque castris & agris pluribus adnumeratis DOMINIVM PROVINCIÆ mero Imperio adornatum: Et ex illis denique Provinciis tam Ordinatis, quàm bello, aut alio acquirendi modo occupatis VNIVERSITATES PRÆEMINENTES, *Regna, & Imperia, sive Dominia supremæ* Jurisdictionis, & Majestatis conglutinata fuerint. *conf. l. 6. §. 8. l. 13. pr. D. de Off. Præsid. Nov. 28. c. scitote. 2. cau. 6. qu. 3.* AZO. *sum. de S. S. Eccles.* FR. MARC. *I. Dec. qu. 369. n. 7. Conf.* NATTA. *Cons. 405. n. 2.*

2. Atque ab his inferiora Dominia, Status, Dignitates, & reliqui fundorum possessores, quos VEL amor pacis, & quæstus communis, VEL formido potentiæ, aut necessitudo victoriæ, VEL beneficentia, & Devotio fidei imperio Dominantis subegit, dependebant. *argt. l. 1. C. de Commerc. & Mercat. & ibi Dd.*

§. XII.

Dominii Eminentis augendi & conservandi Axiomata Politica.

1. Illa propterea Civilis ars egregii Operis est, & magnificentiam rerum laudabiliter auget, & exaggerat: quæstum communem subditorum, eorumque salutem promovere; territoria, illorumque personas, justâ peræquatorum discussione, congruæ formæ censuali subjicere: censum, desiderante æquitate, petentibus emendare: militem bello exercitatum facere: tyronum examina lusu armorum educare: Fabianos firmare, Iphicratenses supplere: rem militarem omni ratione parare: Tribunos multum in bello exercitatos, Prætores Martis prudentia nobilitatos, id genus reliquos, sibi amicos & Comites habere: præsidium Justitiæ Pietatis suffulcro struere: Studia Generalia sive Artium Liberalium Palæstras, Scholasque fundare & alere; rigorem clementiâ temperare; amori liberalitatem jungere;

dere: conservationi Nobilium, fortiumque Virorum familiarum studere: fortunâ novercante laborantibus, manum porrigendo, succurrere: bene de Republ. meritos beneficiis ditare, animosque subjectorum largitionibus & stipendiis redimere & obligare &c. CLUV. *Germ. ant. I. c. 48.*

2. Hoc robore belli robur dominatus crevisse, robur Imperii stetisse; decrevisse autem otio, audaciâ, injustitiâ, ἀβελία, & imparato milite, Reipubl. Judaicæ, & regni Assyriaci aliorumque subsequentium exemplo discimus. *Conf. Jud. III. v. 2. cap. XVIII. v. 7.* KLOCK. *Tom. I. Conf. 20. n. 9. 10. 52. seqq.*

3. Eo respicit, quod neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendio, neque stipendia sine tributis haberi queant, eleganter judicans TACITUS *Hist. 4. 74. 2. Conf.* REC. IMP. *de Ao. 1495.* ANDL. *in Corp. Const. Imp. T. 2. v. Anlag n. 1. 2.*

§. XIII.

1. Præclaro hinc more diversarum Gentium Domini præeminentes, sive Principes sibi suisque, maximè verò augendo, & conservando statui Dominatûs consuluerunt, ut bene meritos Ministros, strenuos Milites, fidelesque subjectos beneficentiâ suâ honorarent, eorumque personis, & familiis insignia Dignitatum, privilegia, prædia, & possessiones cum Jure temporario, vel perpetuo utendi fruendi, aut disponendi, reservatâ sibi superioritate sub certâ lege & conditione auxiliandi, aliaque onera præstandi amore virtutis concederent.

Artis Politicæ cardo in beneficentia erga bene meritos, fidelitumque vinculo

2. Hoc enim Consilium Columen Dominationis, Unionis Conservatrix. Quam rationem status imperio Nimrodi, illiusvé imprimis Successorum Orientali rudimenta posuisse tradit NIEL. *Disp. feud. 1. th. 1.* Et adhuc ex antiquo more in Oriente, ejusque quibusdam regnis, & populis moratioribus vigere refert LUD. MOLIN. *de J. & J. tr. 2. Disp. 485. n. 2.* BODIN. *de Republ. lib. 2. c. 2.*

§. XIV.

Eam quoque consuetudinem temporibus subsequentibus salutarem in terris Hesperiæ, aliisque Occidentis plagæ gentibus increbuisse videntur adstruere Veteris & medii Dominatus Romani, ejusque Procerum & Principum

Illius vinculi fidelitatis in Rep. Rom. modi usitati,

a) CLIENTELÆ publicè & privatim susceptæ HANNET. *c. 2. lib. 1. de feud.* PANCIR. *in Th. var. lect. 1. c. 90.* KNICKEN. *recent. Polit. pervest. de Rom. Imp. aurong. n. 794. seq. L. 1. C. de Commerc. & Mercat.*

a) Clientelæ

b) Collocationes, & addictiones COLONIARUM sub fœdere fidei, professionis & censûs dominio Romano reddendi, ex autoritate Civitatis profectæ; utpote quæ pars civium, seu Sociorum, Rempubl. ubi missæ, vel conditæ, ex consensu

b) Coloniæ

 Civi-

Civitatis publico habentes. Has inter fuerunt Colonia AVGVSTA VINDELICORVM, prope Vindonis & Lyci confluvium in Vindeliciæ meditullio sita, Urbs hodieque Imperialis splendidissima, antiquitatum monumentis inclyta, & Emporium admodum celebre; Colonia AGRIPPINA notissima Urbs Imperialis ad Rhenum condita: Colonia ALLOBROGVM, alias Geneva dicta: Colonia TRAJANA, Germ. Kayserswerda vocata, aliæque, quarum Catalogum recensent JCti VLPIANVS & PAVLVS *in l. 1. & 8. D. de Censibus.* add. ONVPHR. PANVINC. *lib. 3. de Republ. Rom.* MAR. VELSER. *Rer. Aug. Vindel. Comment. lib. 3. & 5.* LIPS. *in Admir. l. 6.* BODIN. *de Rep. lib. II. c. 2. n. 191.*

γ) Dignitates c) Distinctiones & collationes DIGNITATVM, & graduum, veluti Senatorii, Equestris & plebeji; Quâ concinnâ formâ etiam Universitatem Germaniæ nostræ, utpote quæ eodem trino ordine; SENATORIO, Electores, Principes, Dynastas & Magistratus; EQVESTRI, Beneficiarios, Illustres & Nobiles; PLEBEJO, reliquos cives, nimirum Artifices, Mercatores, Opifices, Agricolas & rusticos refert, complecti cernimus *conf. t. t. C. de Dignitat.*

δ) Conventiones colonariæ d) Conditiones COLONARIÆ, quibus Romani quondam, sicut aliæ gentes, inquilinis & colonis, tam Originariis, quam adscriptitiis agros certos colendos sub certa, eorum nomine, quotannis præstandâ pensione in perpetuum attribuebant, eisque illi coloni, semel agriculturæ dediti, sive ab initio servi, sive liberi essent, ita tenebantur, ut tanquam glebæ terræ addicti cum totâ prole in ea permanerent, nec absque consensu Domini, & formâ legis observatâ punctô temporis discederent: Veluti hoc jure Romano, & moribus Germaniæ hodieque perviret, ut rustici plerarumque Provinciarum demigrare, villas, agrosque suos deserere nequeant, nisi manumissi à Dominis, aut consentientibus Dominis: *l. quæro 54. §. ult. D. locati. l. 6. 18. 10. C. de Agric. Cens. & Colon. l. Colonus nunquam 15. C. eod.* TAVRELL. *de Militiis ex casu.* GARZ. *de Exp. & Mel. c. 12.*

ε) censiticæ e) Institutiones SVPERFICIARIÆ & CENSITICÆ *l. 73. 74. D. de R. V.*

ζ) stipendiariæ f) Mox etiam Ordinationes fundorum LIMITROPHORVM, & stipendiariorum prædiorum, oppidorum provinciarumque: *t. t. C. de fund. limotroph. & terris l. quicunque 3. C. de omni agro deserto.* MAR. FRECC. *lib. feud. tit. I. n. 8.* LAMPRID. *in vit. Sever. c. 58.*

η) Emphyteuticæ g) Conventiones vectigales & EMPHYTEVTICARIÆ, postea à Zenone Imperat. propriâ, & distinctâ figurâ vestitæ: *§. 3. Inst. de Loc. & ibi* VINN. *l. 57. pr. & seq. de Leg. II.* COCCEJ. *in Jur. feud. Hypomn. tit. 1. p. 8. n. 10.*

θ) Beneficiariæ vel cum canone h) Cessiones BENEFICIARIÆ fundorum PATRIMONIALIVM, vel Reipubl. sub lege in Dominii recognitionem præstandæ pensitationis, sive canonis annui unâ cum jure transmittendi in posteros constitutæ *l. possessores 12. & t. t. C. de fund. patrim. saltuens. & Emphyteut.*

vel sine Canone quæ Imagines feudorum i) Nec non distributiones Agrorum, prædiorum, & unâ cum castellis limitaneis territoriorum, bello captorum, Ducibus & militibus Veteranis in præmium cum Jure immunitatis, & transferendi ad Hæredes tam militares, quàm paganos tempore Imperatorum Alexandri Severi, & Constantini M. tam ad fines Imperii tuendos, & rem in bello gerendam, quàm ad post suos labores quiete

tè perenniter fruendum assignatæ. *l. 15. §. 2. de R V. L. 11. D. de Evict. t. t. C. de fund. limotroph. l. 1. C. de Veteranis* HOTOM. *in Disp. feud. c. 2.* LAZIUS *de Republ. Roman. lib. 1. c. 2.* Quas concessiones Prædiales hæreditarias Conceptaculum feudorum fuisse, videtur cum aliis sentire PANCIR. *d. tr. lib. 1. c. 90. vers. Prima vero seqq.*

§. XV.

Quanquam autem, his providè dispositis, Dominia Romanorum valde floruerunt, Cæsarumque imperium, accensâ suorum militumque fortitudine, non mediocriter auctum, & firmatum fuit: Multùm tamen præstantiori status ampliandi & conservandi ratione utebantur Principes & Domini nationum GERMANICARUM. His enim, uti sagaces bellatores, rerumque gestarum magnitudine insigniter inclyti, neque tutior patriæ defensio, neque formidolosior Autoritas, neque validior vis contra vim hostilem, quam in parato existere milite, Martisque prudentiâ edoctis potius interesse videbatur, non multas spatiosasvé terræ & ditiones saltem acquirere, sed pro earum tuitione Statusque Superioris conservatione magis multos bellicosos fidelesque milites possidere. *Dominii Eminentis stabiliendi ratio Germanorum Militaris.*

§. XVI.

1. Sane laudabile eorum, & eos inter Francorum, Gothorum, Alemannorum, Langobardorum aliorumque erat institutum Militare, ut amore & honore virtutis suis Comitibus, militibusque strenuis, sive nobilibus fertilia prædia, regiones, & portiones Principatuum, & Dominatuum suorum, quàm inprimis terrarum bello quæsitarum, nomine beneficii, sub certâ tamen lege recognitionis, fidelitatis, & servitii militaris, reservato sibi superiori Dominio, traderent; cætera tantùm veteribus colonis fiduciæ nomine fruenda relinquentes. BODIN. *d. Rep. d. l. n. 192.* THOMAS. *Orig. Feud. §. 13.* Excell. Dn. STRUV. *in Jurispr. Feud. c. 1. §. 4.* *Laudabilis Instituti Militaris Finis salutaris.*

2. Eo dilargientium fine, quo terris victoriâ partis, & Majorum sudore atque sanguine antepartis, cum postpartoribus quietè fruerentur; contra hostiles autem impetus devinctissimo auxilio sibi, & Omnibus Exercitus fidelium fortiumque continuo adesset paratissimus. TAC. *de Mor. Germ.* KNICH. *in Comm. de Sax. non provoc. Jur. & priv. c. 1. verb. Ducum Saxon. n. 1. seqq.* CRANTZ. *in Chr. Dan. lib. 3. c 26.*

3. Ejus enim instituti jus & Executio desiderabat, ut omnium unus animus, una vis conjuncta, unaque omnium fidelis præsentia & reverentia Dominis, necessitate poscente, præstò esset, nisi absens aut deferens infamis in omnem vitam æstimari, & beneficio suo statim cadere & privari vellet. CLUV. *Germ. Ant. lib. 1. c. 48.*

§. XVII.

Ex Militiâ instituta Autoritas Germanorum Gloriosa.

1. Hac ratione militandi uti Romanorum res maximè attritæ; ita Germanorum potentia ubique præcelluit. Et Langobardos, Alemannos & Francos dominatum ferè rerum omnium sic occupasse, ut nemo terræ glebam, nisi eorum beneficio possideret, tradit BODIN. *de Republ. c. 2. n. marg. 191.* add. ABB. VRSPERG. *in Chron. sub hist. Langob. p. 143.* CRANTZ *in Chr. Dan. lib. 3 c. 40.*

2. Et ut eò magis in arctissima fide Milites isti Illustres, & nobiles cum cæteris subjectis continerentur, tanta autoritas Dominorum illo Jure beneficiario primitus præstabat, ut beneficia sua concessa possessoribus auferre possent, quando vellent. Quæ Juris efficacia æquitate naturali, quâ quilibet pro voluntate traditioni rei suæ, atque similiter Dominus feudi in ejus concessione, legem, quam vult, apponere potest, nitebatur *l. legem. C. de pact.* ROL. A VALLE *Tom. 4. Cons. 100. n. 11.* H. PISTOR. *lib. 2. qu. Jur. p. 1. qu. 6. n. 49. seqq.*

3. Sic eâ Beneficii, ut *Precarii*, concessione sub fidei vinculo Hunni, veterum reliquiæ, Avares dicti, à Langobardorum Rege Alboino Pannoniam possidere, eique, ut & Successoribus, casu necessitatis bellicæ, adjutores venire obstricti fuere. CRANTZ. *in Chr. Dan. III. c. 6. & 26.*

§. XVIII.

Statuti Militaris in Lombardiam introductio, ejusque prima causa.

Hanc autem *CONSVETVDINEM MILITAREM* non solùm GOTHI, sed etiam LANGOBARDI imprimis, (Origine secundum medii seculi Scriptores Scanii, ex antiquitatis tamen fide verius Germani, Semnonibus & Saxonibus contermini, inter Albim & Viadrum ad confluentem usque Havelæ, ubi Marchia Brandenburgica media, & Archi-Episcopatus, modo Ducatus Madoburgensis hodie dignoscitur, collocati, plurimis & valentissimis nationibus Germanicis cincti, quos paucitas & præliorum fortuna nobilitabat: utpote Gens bellicosa, & ab fortia facta insigniter præclara: ad Libertatis vindictam potius aut pugnando mori, aut per arma defendi, quam tributis turpiter subdi prona & assueta) signis victricibus è Scoringa, sive Scandia, Godlandia, & porro Rugia, ut mediis perplacet Scriptoribus, sed probabilius ex jam delineatis Germaniæ sedibus per Saxoniam superiorem, dehinc Bavariam, & porro Pannoniam, cujus annis circiter XLII. DOMINI & incolæ fuerunt, arte & consilio Narsetis, ulciscentis injuriam, allecti in Italiam, consociatis viginti hominum millibus cum omni domo & familia emigrantibus SAXONIBVS, auspicatò expansis, & illatis, ibi ad duram effinxêrunt insitionem. Cum enim eorum Rex Alboinus, in Italia primus, Lombardiâ, optimâ Italiæ parte, regiâque Ticino, cum aliis ditionibus potieretur, fas ipsi ejusque successoribus visum, virtuti militiæ beneficia Juraque competentia con-

conjungere, belli Comitibus, & militibus eximiis, juxta Sociis etiam Saxonibus, qui cum ipsis in Italiam acciti ex Germania transibant, pro operâ militari exhibitâ, & postmodum fideliter exhibendâ, Territoria, Oppida, Castra, pagos, agros, aliaque prædia cum, vel sine Jurisdictione mandatâ sub conditione fidei & Obsequii, Domino supremo, & directo sibi salvo, tribuere, nec non devictis Civitatibus, aliisque Possessoribus sub eâdem formâ fidelitatis & servitii terram eorum occupatam, vel ejus, cæterâ sibi Jure belli addictâ, partem relinquere; Similiter etiam multas possessiones Ecclesiis conferre, & Episcopos, honore antea destitutos, ad propriam dignitatem restituere. ABB. URSPERG. *Chron. sub rubr. Hist. Langob. fol. 143. 145.* GUID. PANCIROLL. *Thes. var. lect. lib. 1. c. 90.* CRANTZIUS *in Chron. Daniæ. præf. & lib. 1. c. 2. & 21. & lib. 3. c. 6. seqq.*

§. XIX.

Instituti Militaris peculiare Nomen, ejusque adæquata etymologia

Cujusmodi concessum prædium militare primitùs BENEFICIUM, & quod deinde puris Latinis FIDUM vocatum, posthinc ex barbarie seculi istius, & linguæ latinæ ob exteras gentes Italiam occupantes corruptione, FEUDUM more communi in Italia, sicuti in Germania ex eâdem linguæ vel scripturæ immunditie FEODUM, proprio verò idiomate, ein Lehn, respectu juris utendi fruendi, quod descriptis in Jure Civili Militiis, Græcè στρατείαις dictis, respondere, licet minus accuratè, HOLOANDER in præf. Nov. Just. autumat, nominatum fuit. Siquidem ex diversis Germanicarum, aliarumque nationum Dialectis hodieque constat, quod loco litteræ i, consueto linguæ usu, diphtongos vel eu, vel eo, interponant. Quam derivationem Feudi veriorem, reique ipsi, rejectis aliis, conventiorem esse sentimus. Quippe hanc ipsam Jus Langobardicum vetustum confirmat: *II. Feud. 3. §. 3. circ. fin.* Ipsique Milites & possessores illorum prædiorum à Fide, quà Domino obligati sunt, appellantur Fideles *II. F. 14. §. 3.* quod etiam redolet Curiæ Germanicæ stylus, & salutatio consueta: dem Vesten und lieben Getreuen FINCKELTH. *Disp. feud. 1. th. 1.* & præterea ipsa realis definitio feudi, quod, quà originarium & antiquum statum, est Jus utendi fruendi prædio à Domino superiori beneficè & mediante solenni Investiturâ concesso sub nexu fidei & officii, vel servitii militaris præstandi, ostendit. PANCIR. *d. tr. lib. 1. c. 88. & 90.* WESENB. *de feud. c. 1.*

Definitio

§. XX.

Feudalis Juris Ortus & ru-

1. Sed cum, rebus Italiæ ita maximam partem expugnatis, non Laici tantùm, sed & Clerici Dominio Langobardorum regio subjecti,

cti, hisque veluti Ecclesiis & Monasteriis, eorumvé Archi-Episcopis, Episcopis, & Abbatibus &c. possessiones, bonaque Ecclesiastica unà cum Jurisdictione sub nexu feudali benevolè dimissa fuerunt, adeo ut Ecclesiæ, & Civitates, Militesque Jure illo militari constricti tenerentur; factum hinc, ut Jus illud cum Feudis tam secularibus, quàm Ecclesiasticis de ipsis simul Ortum, & institutum, atque in Lombardia introductum, inque diversis Civitatum Curiis erectum, & receptum, coli & observari debuit.

2. Illud primitùs, quo etiam Leges ROTARICÆ, Edictum Rotaris, Regis Langobardorum, dictæ, sunt referendæ, quibus aliquas in Codice Langobardorum comprehensas Leges Successorem Grimoaldum adjunxisse memorat CRANTZ. *in Chron. Dan. lib. 3. c. 26;* plurimam partem autoritatem Domini, cui tanquam Autori benefico, & superiori ob feudum ab ipso collatum fidelitas, reverentia, & servitia præstanda, spectabat.

3. Ejus enim connexio ab Origine, &, ut dicitur, antiquissimo tempore, feuda, velut temporaria, in manu & arbitrio Domini retinebat, ita, ut primum vel *precaria*, vel saltem *annua*, mox vel *vitalitia*, sive ad ætatem Vasalli durantia: sequenti dehinc tempore aliqualiter quidem *transitoria* cum quadam successione, restricta tamen primùm, & solummodò ad eum filium, quem ad militiam & ministeria idoneum Dominus probasset, paulatim verò porrecta ad omnes æqualiter filios, feuda in rebus immobilibus cum jure utendi fruendi pro officiis, & angariis militaribus obeundis à Domino Superiori darentur. *c. 1. qui feuda dare poss. & qui non & ibi Interpp.* CRANTZ. *d. l. c. 6. 22. & 26.* BODIN *de Republ. lib. 2. c. 2. n. 192.* PANCIROLL. *d. Thes. var I. c. 90.* BECHM *in Us. Pr. Feud. Exerc. I. n. 10. 11.*

§. XXI.

Feudorum Imperii German. Flos & Illustratio per Italiam ex autoritate Caroli M.

1. Veruntamen uti bellorum necessitas feuda peperit: Ita, subsecuto tempore CAROLI M. IMPERATORIS AVGVSTI, arma Francorum potentia contra Italiam inferentis, & debellatis ab ipso ibi Langobardis, captoque eorum ultimo Rege, Desiderio, nec non occupato Italiæ regno, JVS FEVDORVM crebriorem sumpsit florem.

2. Ejus manu Regiâ cum omnia gubernarentur, SLEIDAN. *in Chron. Germ. lib. I.* ipseque PAPA HADRIANVS I. cum Universa Venerabilium Synodo; & Successor LEO III. in *istius* Imperatoriâ inauguratione Romanâ cum Proceribus unaque Clero consentiente, & applaudente populo: CAROLO AVGVSTO, MAGNO PACIFICO VITA ET VICTORIA; illius dominium Eminens & Supremum, concesso Patriciatu

ciatu Romano, traditâque ipsi omni potestate, nec non jure ELIGENDI PONTIFICEM, & ordinandi sedem Apostolicam, imo per omnes Provincias Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, reliquosque Prælatos investiendi, recognovisset, *c. Hadrianus. 22. Dist. 63. c. in Synodo 23. eod. c. Hortatu 10. ca. 23. qu. 8.* Mos ille Feudorum regius, Imperioque salutaris, qui Francis, ut Genti Germanicæ, non incognitus, AUTORITATE CAROLI M. conservatus, per Italiam ferè universam gloriosè auctus, & illustratus fuit.

3. Siquidem Rex, & Arbiter, bello, Jureque factus, possessiones, & Jura Clericis, & Laicis à Langobardorum Regibus, eorumque Capitaneis sub feudali statuto concessa, rogatus eâdem conditione beneficiariâ, additâque novâ fidelitatis præstandæ formâ indulsit, & confirmavit. Proinde memorato Pontifici, sedique Romanæ Apostolicæ de Exarchatu Ravennate, Pentapoli cum quatuor Principatibus, Perusino, Romano, Tusco & Campano; nec non Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, ac cæteris Clericis, annulo, & cambocâ porrectâ de Diœcesibus, Ecclesiis, Abbatiis, aliisque Titulis, Juribus & Pertinentiis sub vinculo feudi Regii, & fidelitatis religione, retento sibi Dominio superiori, & Directo, certo etiam Tributi genere, vel Fodro, in ejus recognitionem, vel servitiorum hostimentum, imposito, Regioque Fisco solvendo, investituram fecit. CONRING. *de Fin. Imper. c. 10.* *quæ erat Monarchica tam circa omnem Clerum;*

4. Similiter quoque ejusdem Juris obstrictu *Principatibus* & *Ducatibus* gubernandis, veluti Beneventano, Spoletano &c. quosdam *Duces:* Provinciis & Civitatibus Regni limitaneis dirigendis, & contra assiduas hostium incursiones tuendis quosdam *Marchiones;* qualis posthinc successit Azo Atestinus, Marchio Ferrariæ, Princeps Italiæ potens, & celebris, Propator Serenissimæ Domus Brunswicensis; LAMBERT. SCHAFFNABURG *ad An. 1071.* AVENT. *lib. 6. Hist.* Porro Regionibus, Urbibus, earumque Districtibus administrandis ex Comitatu suo diversos *Comites:* ulterius Decaniis, Castris, prædiisque reliquis Capitaneos, Vice-Comites, Equites, pluresque Milites, fideles & bene meritos unà cum honore, jurisdictione, & potestate Judicia exercendi, præviâ terminorum limitatione, præfecit, & investivit. add. SIGON. *lib. 4. An. Carol. M. lib. 1. An. 776.* SPECUL. *l. 1. p. 3. Rubr. de Vice-Comite.* GARS. MASTRILL. *de Magistr. lib. 4. c. 2. 10.* *quam omnes Proceres Laicos.*

§. XXII.

Rebus Italiæ benè gestis, & ordinatis, CAROLO M. reduce dehinc in Germaniam, ibique Victore Saxonum, aliorumque populorum *Feudorum Imper. Germ.*

Augmentum per Germaniam ex Autori. Caroli M. ejusque Successorum.

rum effecto, Jus Feudorum, eo Autore gloriosissimo, ejusque Imperii Successoribus Promotoribus in egregia augmenta, fundamenta, & ornamenta ferè ubique diffusum est. Eo enim pacto, & nexu Feudali ex supremo eorum Dominio, quo Imperatores, & Reges in Italia, & Germania armis, & Legibus pollebant, beneficentissimè profluxerunt Feuda Imperii LIGIA, & NOBILIA, tam *Majora*, sive *Regalia*, Ecclesiastica, & Secularia, quàm *Minora*, concessa VEL iis, qui ipsis fidelem strenuamque in bello, & pace servitiis, & consiliis operam navarant, VEL etiam devictis, quos in fidem, & deditionem suam acceperunt: veluti factum WITTIKINDO M. Duci Saxoniæ, & aliis Germaniæ Dynastis; legibus subinde ab ipsis beneficiariis sancitis, quibus regni Capitaneorum, & Valvasorum Majorum, & Minorum fidelitas, & servitia militaria erga Dominum, & Conservatio in Feudis integra obstringebantur. KNICH. *in Encycl. l. c. n. 91. 92.*

§. XXIII.

Nobilitatis Germanicæ principium ex Autoritate Domini supremi Imperatoria.

1. Hæc Feudorum Imperii Illustrium Cæsarea Investitura potissimum fuit Seges Nobilitatis Germanicæ hodienum tam splendidissimæ, quàm egregiæ, & clarissimæ. Imperator enim, & Rex Romanorum, uti Fons scaturiginosus est Regalium: *II. F. 56. l. 2. §. 14. de O. J. l. un. in pr. de L. J. Amb. l. 2. de alb. scrib. l. 5. de Jurid.* BODIN. *de Republ. lib. 3. c. 8. n. 355. seqq.* Ita quoque vigore Majestatis Autor omnium Nobilitatum, & Dignitatum, quæ species illorum, sicut feudalia prædia, audiunt *c. un. quis dicat. Dux. c. un. de feud. March.*

2. Quippe & Veteres ipsi Imperatores Augusti Romanorum κατ' ἐξοχὴν NOBILES & NOBILISSIMI, tanquam Largitores NOBILITATIS, & Jurisdictionis compellabantur. Uti apparet ex *l. 3. D. de Natal. restit.* & Constantini Imper. numismate cum inscriptione: *Constantinus Nobilis Cæsar*; & ideo Pflantzer, und Handhaber des Adels, de quorum Regali culmine, veluti ex Sole radii, omnes dignitates prodeunt, prædicantur. GOLDAST. in Reichs-Satz. *p. I. p. 284. n. 8.*

§. XXIV.

Nobilitatis Maxima, Majoris, Mediæ, & Minoris distinctio.

1. Quæ Nobilitas, Civilis à Bartolo dicta, gradu distincta Major, Media, & Minor. Omnis tamen Inferior Imperatoris Nobilitate, tanquam Maxima, ad quem summa Principis, & Primi Imperii Domini respicit: *§. sed & quod. J. de J. N. G. & C. l. Princeps. D. de LL. t. t. de Const. Princ. c. 1. de nat. Feud.* CHASS. *in Cat. Gl. Mun. P. 5. consf. 27. 28.*

Quinam Nobilitatis Majoris;

2. MAJORIS enim, & MEDIÆ Nobilitatis Ordine veniunt *ATTITVLATI*, qui speciali, eâque splendidiori, vel egregio Dignitatis titulo, & gradû ab Imperatore Romano, sive Rege insigniti, reliquis imperio, aut honore præcellent.

3. Et

3. Et ILLIVS MAJORIS quidem erant,& adhuc excelsâ,& magnificâ Autoritate prolucent Personæ Illustrsmæ,& Illustres in Imperio Principes, Electores, Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravii, his proximi Comites, Barones, Dynastæ &c. utpote Optimates Regni:

Quâ ipsi dignitate primitùs non quidem sanguinis solùm, sed potiùs virtutum, & meritorum nobilium respectu ab Officiis, & Magistratibus, quibus investiebantur, corruscabant. Unde hodie huc etiam referendi Præsides, & Comites sanctiorum Consiliorum, Magistri, & Comites supremorum Aulæ Officiorum, Præsules & Assessores Dicasteriorum Imperii Summorum, Ordinum Illustrium Magistri & Capitulares, Talassiarchi, sive Præfecti Classis, Gubernatores Provinciarum, Legati, Rectores Academiarum, inprimis Ductores belli, & Exercitûs, Præfecti Copiarum: qui Hebræis quondam PRINCIPES, & MAGISTRI MILITIÆ dicti: *Gen. XXI. v. 22. 2. Reg. XXIV. Jer. XXXIX;* IVRE CIVILI MAGNIFICI, ILLVSTRES & GLORIOSISSIMI, Gallis Mareschalci, & Germ. Generals,und Kriegs-Obristen nuncupati &c. *Quinam Media;*

4. HVIVS MEDIÆ verò Personæ Præcellentes, Egregiæ, & Spectabiles existunt, qui, inclytam Nobilitatem ob mores præclarissimos, & magnitudinem scientiæ, prudentiæ, peritiæque nacti, cæteris præferuntur: Veluti Equites, Doctores, Consiliarii, Advocati supremorum Imperii Judiciorum, Præsules Jurisdictionum Mediarum &c. *Quinam Minoris.*

5. MINORI autem nobilitate continentur *NONATTITVLATI*, qui simplici Nobilitatis nomine cum investiturâ Feudi Minoris, vel sine eo ornati, aut nobilitatem ex privilegio, eorum statui attributo, assecuti cæteris prævalent, ut sunt Jure Feudali Milites, & vulgo Nobiles dicti.

Quo accensendi Omnes Literati. Quod enim Milites, sive Nobiles pro Defensione Patriæ contra hostilitates; id Literati pro Justitia & veritate militantes contra Pacis, & salutis publicæ Osores præstant. BOD. *d. tr. III. c. 8.* TIRAQVELL. *T. I. de Nobilit. c. 7. n. 15. 16. & c. 37. n. 68. 69. 83.* OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 27.* CHASS. *in Cat. Gl. Mun.* P. *8. conf. 9. 10. &* P. *10. conf. 1. seqq.*

§. XXV.

1. *PRINCEPS*, quæ vox Analoga, propriè quidem titulus prærogativæ; quo Romanis ille ornabatur, qui in suo Ordine PRIMVS, & PRÆCIPVVS, & sic Princeps Senatûs erat, der Obriste und Aelteste des Raths. LIV. *34. 44.* Uti eâdem ratione Philosophorum Princeps PLATO dicitur. CIC. *de Fin. V. 3.* Conf. TIT. *C. de Princ. Agent. in Reb.* *Princeps propriè quid in Genere*

2. Priscos apud Germanos in hoc significatu, eoque peculiari Nomen, & dignationem Principum accipiebant Primores bellicosorum, & virtute Heroicâ nobiliores, qui publicô suffragio, & Autoritate Globo Comitum, Ducem stipantium, eique assidentium consociati, & ideo, licet Ducis tantùm Comites, Principum existimationem habebant, quod masculæ Virtutis robur, & Leonina eorum agilitas reliquos superaret; die Kriegs-Helden, und streitbarsten Ritter: qui Principem superiorem, sive Ducem belli, honoris & tutelæ ergô, comitabantur. *in specie antiqua*

vid. CLUVER. *in Germ. ant. lib. I. c. 48.* Cujus notationis usum in Republica Ebræâ peræque fuisse perplura in sacro Codice produnt exempla, conf. *2. Sam. I. v. 19. & c. XXIII. v. 8. seqq. & passim alibi.*

Ejus significatio specialissima vel suprema

3. Initio autem Cæsarum summæ Civilis Potestatis complexus, & Inscriptio fuit. Sub Nomine PRINCIPIS enim Imperium Romanum ab Augusto Imperatore acceptum est: referente TACITO *I. An. I.* add. PLIN. *Paneg. c. VII. & XXII.* In quo significatu, tanquam specialissimo secundum excellentiam Imperatores Romani olim, & hodienum illud Onoma Principis fulgentissimum retinuerunt, quod ut proprium, & antiquissimum supremæ Dignitatis Elogium, stylo Curiæ, semper præmitti solet. REINK *de Reg. Sec. 1. Cl. 4. c. 8.*

4. Atque eôdem Principis titulô ob Regalem Dignitatem, & Superioritatem, quam possidebant, etiam usi, & appellati sunt Nationum Germanicarum, aliarumque DOMINI, sive Exarchi.

vel subordinatæ dignitatis qua Originem

5. Veruntamen tempestate CAROLI, M. ejusque Regiæ Stirpis Successorum, quorum Monarchiæ Res Germaniæ subjectæ, Princeps Imperii Romano-Germanici ferè ab Officio Feudali concesso, & demandato, vel Provinciæ, quæ PRINCIPATUS cluebat, Regimine, vel Principalis Muneris Aulici functione præsidiali, quibus investitus, Dignitatem, Nomen & Autoritatem obtinebat. Et ideo Princeps erat Rector Principatus, & Populi, sive Aulæ Imperatoriæ, aut Consilii Publici, vel Sanctioris Supremi; Germ. ein Fürst, quasi Förderste, sive Fürsteher, so dem Volck und Land, oder dem Obristen Reichs-Rath fürgesetzet. STUMPF. *in Chron. Helv. lib. 4. c. 30. p. 247.* CLUV. *in Germ. ant. lib. 1. c. 46.* KLOCK. *I. Conf. 29. n. 280.*

quà hodiernum Imperii Statum

6. Quæ specialis acceptio posteà ad hodiernos Imperii Principes in potiori tamen Statu, sensuque Eminentiæ successorio devoluta est; ita ut Princeps Imperii, Personis reliquis Illustr^mis & Illustr^bus, veluti Electoribus Archi-Principibus, Comitibus, & Baronibus Imperii contradistinctus, illa Celsissima Persona specialiter sit, quæ ab Imperatore cum Dignitate, & Autoritate Principis illustri investita fuit.

Princeps quis Immediatus Regularis

7. Quales vel *ECCLESIASTICI*, vel *SECVLARES*; Iique AVT IMMEDIATI, tam REGVLARES & Proprii, qui ab Imperatore, *vel* specialiter de Principatu Imperii, *vel* generaliter de aliis id genus Feudis Imperii Regalibus, unà cum dignitate Principali per vexillum, aut sceptrum, sive, ut hodie communiter, per Gladium investiti, & in Senatum Principum ad Sessionem, & Votum admissi Status Imperii sunt, nec non Superioritate, aliisque Regalibus in suis territoriis Immediatis gaudentes ideo ὑπεροχὴν præ reliquis sibi subordinatis habent.

Cuju-

Cujusmodi antiquâ Principali Prosapiâ celebres sunt post alios: Principes Sveviæ, Hirschfeldenses, Anhaltini, Vandalorum & Sverinenses, Rugiæ &c. it. Principes Sabaudiæ, Jure Vicariatus Imperii, & præcedentiâ præ Omnibus Italiæ Principibus pollentes &c. aliique; nec non *Ii*, qui hoc & superiori seculo noviter Matriculæ Imperii adscripti, Principes Nassovii, Hohenzollerani, Salmenses, Ottingenses, Ost-Frisii &c. &c.

Quàm IRREGVLARES, qui sine Immediati Principatûs, vel aliús Feudi Regalis Cæsareâ investiturâ, intuitu duntaxat Personæ, & Meritorum, ad Dignitatem Principalem ab Imperatore evecti, & in Senatum Principum certis conditionibus recepti, Status Imperii existunt; ratione Rei verò VEL bona Feudalia Mediata à Principe, VEL alio Statu Imperii recognoscunt: Quales investiti fuerunt Princeps Dietrichsteinius, Aversbergius, Lobkowicus &c. &c. VEL talia in Imperio non possident: uti Princeps Picolomini &c. Conf. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 3. 4. 9. 10. 17. 19. 20. 22. 24. 25.* BVRGOLD. *in Not. rer. Imp. P. I. Dis. 20. M. 2. §. 27.* VFFENB. *Conf. Imp. Aul.* *Irregularis*

AVT MEDIATI, qui Dignitate Principis Illustri ab Imperatore Rom. condecorati, atque VEL ratione Personæ quidem Immediati sunt, in Senatu tamen Principum Juris Comitiorum expertes, & respectu Rei Mediati, feudaque, & alia Regalia à Principe, sive Statu Imperii concessa tenent: VEL ratione Personæ & Rei simul Mediati, Statuique Imperii subsunt; veluti Principes SILESIÆ, qui Regi Bohœmiæ parent, & alii &c. &c. *quis Mediatus*

Aut denique NVDI, & HONORARII, qui solo Principis Titulo, & Prærogativâ ab Imperatore coronati extra Imperium bona possident, & præter Cæsaris, quoque aliús Domini Superioris Majestatem verentur, uti Principes Radzevilii in Lithuania, qui Principali Diademate à Cæsare ornati, & Regi Poloniæ ratione bonorum, & Personæ subjecti sunt. Conf. BVRGOLD. *in Not. Rer. Illustr. Imp. P. I. Disc. 20. M. 1. & 2.* *quis Honorarius.*

§. XXVI.

1. Sed cum Nomen Principis in GENERALI, eâque eminentiori notatione inexistentem formalitatem Omnium illustrium Personarum importat; ita hujus Ordine olim, sicuti hodie Omnes Status Imperii, comprehensi sunt DVCES, COMITES, MARCHIONES, & cæteri Capitanei Regni, quibus BARONES includebantur. *Princeps, quos in sensu lato comprehendat*

2. DVX Originaliter Ductor, & Imperator belli erat. Penes quem summa in acie, & pugnâ unicè spirabat Autoritas; & cui, veluti Regis Præfecto, Exercitus, omnesque illum stipantes Comites, & Proceres præbebant obedientiam. *quis Dux origine.*

3. Germanis Veteribus, qui in Civitate Democraticâ sine Principe agebant, DVX in Concilio armato, sive publico, votis collatis, EX VIRTVTE, sive omnium bellicosissimus, sumebatur; qui electus, & clypeo superpositus, humeris gestantium in altum elatus, atque cum eo circa totum exercitum giratus, *DVX* belli decreti, Romanis Imperator, salutabatur: Iis autem Germanis, cæterisque populis, quibus Civitas Democratica mixta, & cum Principatu erat, *Ejus apud Germanos Electio solennis & Autoritas*

 Ducis

Ducis partes PRINCEPS tenebat, qui respectu Comitum suorum Princeps κατ' ἐξοχὴν audiebat.

Ducis Dignitas Officialis, & temporaria quâ antiquum;

4. Sed in Statu Monarchico, sive Mixto Dux à Munere antiquitùs perillustri, cum ab Imperatore, vel Rege ob prosapiæ, & facinorum fortissimorum claritatem, reique militaris peritiam *tam* Exercitui, & bello dirigendo, *quàm* etiam posthinc gubernandæ amplissimæ Provinciæ, quæ inde DVCATVS vigebat, in Beneficium præficieretur, nomen Dignitatis sortitus est. KNICH. *in Enclycl. Brunov. c. 1. n. 142.* Statum ita ab officio, atque re, sive ex concessione Ducatus Titulum, & Potestatem, seu Dominium nactus; GARS. MASTRIL. *de Magistr. lib. 4. c. 5. n. 4. seqq.* Germanisque, retentâ antiqua appellatione, Hertzog, it. Heertog, & Svedis Danisque Hertug dictus, der als Obrister Kriegs-Gewalt- und Befehlshaber für dem Heer zog, und nach der Zeit als Fürst, und Regierer einer wichtigen Reichs-Landschafft ein- und fürgesetzet war; ut Jurisdictionem Regis in Nobiles, & plebejos exerceret. CLUV. *Antiqu. Germ. lib. 1. c. 46.* LEHMAN. *in Chr. Spir. lib. 2. c. 44. & lib. 4. c. 1.* RHEN. *lib. 2. Rer. Germ. Conf. 1. Par. 28.*

5. Quod Axioma, atque Beneficium cum morte Ejus exspirabat. Et non aliter eodem casu Comitum Baronumque Dignitas *temporaria*, sicuti hodieque quorundam Ducum, & Comitum in Regnis Hispaniarum, & Magnæ Britanniæ, nec non Ducis Venetorum, & Genuensium, iis extinctis, esse solet, existebat.

6. CAROLI M. igitur tempore ille erat DVX, qui Præfectus, & Moderator totius Provinciæ atque Regionis; & sub se Comites regulariter XII. interdum etiam pauciores habebat. BVRGOLD. *in Not. Rer. Imper. P. I. Disc. 20. M. 2.*

Hæreditaria & Eminens quâ sequiorem & hodiernum Statum.

7. HODIE verò DVX est, qui de Ducatu ab Imperatore, vel Rege, sive summo Principe investitus est.
Eorum sunt VEL ORIGINARII; Cujusmodi in Imperio splendent: Duces Saxoniæ, Brunswicenses, Lunæburgenses, Bavariæ, Lotharingiæ, Holsatiæ aliique &c. VEL AVGMENTATI; Uti in Imperio eminens Archi-Duces Austriæ, Magni Duces Etruriæ; extra Imperium Magnus Dux Lithuaniæ &c. BVRGOLD. *d. Disc. 20. M. 2. §. 26.*

Ejus Diadema.

8. Ducum præterea Diadema est Pileus circumseptus cum coronâ rotundâ, quæ lamina aurea pretiosis lapillis distincta est. Qualis, sed dissimili fulgore distinctus etiam tribuitur Comitibus, & Baronibus Imperii.

Baldachini Usus privilegiatus.

9. Unde hodie Iidem, quibus habere Coronam concessum est, pro Insigniis etiam Baldachino uti possunt OLDENB. *Limn. Enucl. lib. 2. c. 14. §. 1. 2. 3. seqq. & §. 13.*

§. XXVII.

Comes quis Origine.

1. *COMES* à comitando propriè dictus. Quippe Illi Ducem, sive Principem ideò comitabantur, ut eorum corporum Præsidium in bello, & in pace Decus essent. alleg. TACIT. *in Germ.* SOLDVRIIS æqua-

Soldurii æquales *Ambactis major*

æquales: quod Hi enim Gallis, id Comites, sive GRAVII priscis Germanis præstabant. Magna sic eorum per virtutem antecellere æmulatio. Distincti autem ab Ambactis erant. Comites quidem, & Soldurii Ducem, sive Principem honoris, & tutelæ causâ præstolabantur, dignationem tamen Principum, seu Procerum habebant, & eâ de re Duci cœnanti assidebant; AMBACTÆ vero ministrando stabant.

Ejus nomen antiquum ab officio Illustri.

2. COMES hinc Origine suâ magis Officii illustris, quam sanguinis Nomen, à more Romanorum ad Germanos translatum. Etenim Romanis uti Senatûs, & Civitatis Primates nuncupabantur PATRES, SENIORES, & Senatores; nec non Imperatoribus Romanis Primi Consiliarii, & Officiarii, qui eorum lateri, veluti fidissimi Amici, & Ministri præcipuè comitando adhæserunt, singulariter Comites dicebantur;

Quales, præmissis aliis, erant Comes sacrarum largitionum, der Reichs-Schatz-Meister, Comes Stabuli Sacri, Comes Scutariorum &c. GARS. MASTRILL. *de Magistr. lib. 4. c. 7. n. 8.*

3. Ita tam splendorem Aulæ Romanæ, & Dignitatum pompam, quàm stylum ipsum æmulata Germanorum, & Francorum Curia Primarios Consiliarios, nec non Præsides Consiliorum, & Judiciorum Regiorum, Latinè COMITES & SENIORES, Germ. die Grauen; unde enata vox *Grave*, & *Greve*, sive *Graff*, non quà ætatem tantùm, sed potius quà perfectitudinem, & excellentiam ingenii, fortitudinis, & prudentiæ Civilis insignivit. REINEC. *de Orig. Nobil.* CLUV. *in Germ. ant. lib. 1. c. 46. & 48.* RUTG. RULANT *de Comm. & Comm. P. II. lib. V. c. 4. n. 26.* STUMPF. *in Chron. Helv. d. l.*

Dignitas à virtutum excellentiâ

4. Oportuit enim hujusmodi Viros Virtutum, morumque præstantiâ gravissimos, in prudentia Civili, & Militari acerrimos fuisse: Quorum operâ, & Consilio in togâ, & sagâ Imperatores utebantur, qui ideo à latere eorum non discederent. TACITUS *de Mor. Germ.* STRUV. *in Exerc. de Duc. & Com. Th. I. n. 9.* SCHILT. *in Inst. J. P. lib. 1. tit. 22.*

5. Ex quo constat, quod Comitum Dignitas valdè antiqua, eaque potissimùm in judicando, & moderando claruerit. Quippe & moribus Feudalibus Ii primitùs, ut Præfecti Urbium, & vicinorum territoriorum, juxtim & Judices Ordinarii in illis constituti erant, qui in Nobiles æque, ac plebejos Jurisdictionem Cæsaris exercebant, adeo, ut quod Dux Militiâ, illud Comes justitiâ præstaret §. *si Judex. 2. de pace tenenda.* BURGOLD. *P. 1. ad Instr. Pac. Disc. 21. M. 2. n. 3.* OLDENB. *in Limn. Enucl. II. cap. 14. n. 7.*

§. XXVIII.

Comitum antiquorum diversitas

1. Hæc autem illarum Personarum Illustrium Officia ratione Adjuncti, & loci erant distincta: Unde diversus eorum promanabat Titulus, & prærogativa.

2. Quos

Comes Palatinus quis propriè

2. Quos inter rutilabant I. COMITES PALATINI Kayserl. Reichs-Ober-Hof-Richter, à Præsidio Justitiæ, quam in Curia Regali seu Imperiali, quæ Palatium, Germ. Palantz, Palatz, & contractè Pfaltz, dicebatur, omnibus Imperii Vasallis, & Subditis administrabant, ita appellati.

ejus Notitio antiqua,

3. Quorum antiquitùs Unus solùm, qui *VICARIUS REGNI* erat, cujus potentia proximè post Regem: Ei à populo, veluti Inspector Jurisdictionis supremæ, adjunctus, uti refert GOLD. *in Not. Margin. ad Aut. Ord. de Off. Com. Palat.*

media,

4. Sed, Re ipsâ mutatâ, cum Imperatores, Carolus M. & ejus successores, in variis provinciis, & Urbibus Imperii sua Palatia, quæ, Justitiæ, & salutis publicæ administrandæ ergo imperium transeuntes, inhabitabant, erigerent, atque in his Comites, Juris Omnibus ad eam provinciam, & Urbem Imperii spectantibus dicendi gratiâ relinquerent, ideo plures Comites Palatini in Imperio constituti fuerunt.

Hodierna.

5. De quibus Comes Palatinus ad Rhenum, in veteri Glossario der Palensgreve dictus, superest, cæteris Omnibus in Imperio sublimissimus, utpote cujus gubernatio, & prærogativa in provincia Rhenensi, ubi Palatium Regium præcipuum tam Palatini, quàm Ducis etiam & Vicarii Imperii extitit; CLUV. *in Germ. ant. lib. 3. c. 36.* PANCIR. *Th. Var. lect. I. c. 88.* COCCEJ. *de J. P. c. 15. n. 11.* BURGOLD. *in Not. rer. Imp. P. I. Disc. 20. M. 2.*

§. XXIX.

Marchio, unde, ejus vera derivatio

1. Hos sequebantur *II. MARCHIONES*, Origine suâ feudali non à marcâ, Celtis & Germanis equa vocatâ, sed ab illustri præfecturâ finium, Germ. Marck, dictorum, sive Provinciarum Imperii limitanearum, quæ Marchiæ appellatæ, nomen adepti. Quarum Ii non tantùm defensores, sed & Judices erant, qui Romano aliàs Jure LIMINARCHÆ audiunt *c. 1. quis dic. Dux. & ibi* AFFLICT. *l. liminarchæ. 4. D. de fugitivis.* AUCTOR *de Jure Princ. concl. 88.* OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2. c. 15. §. 8.*

Eorum in Imperio Origo & Distinctio.

2. Horum autem contra finitimos Imperii hostes olim complures fuerunt, atque ab HENRICO Aucupe Imp. ob heroica facinora: DECUS RELIGIONIS CHRISTIANÆ, laudato; Principales Marchiones, veluti Brandenburgensis, cæterorum splendidissimus, contra Sclavos & Henetos; Sleswicensis contra Danos; Misnensis contra Bohœmos; Lusatiensis contra Polonos & Silesios; Badensis denique contra Gallos ordinati fuerunt. GUALTHER. *in Chron. Pol. lib. 1. in Proœm. Catal. Duc. Austr. & in Chron. Eccl. Pol. sub Anno 927.* OLDENB. *l. c. §. 9. 10. & 11.*

§. XXX.

Landgravius quis erat.

1. Ejusdem Principalis Ordinis dignitate nitebant *III. LANDGRAVII*, quibus mediterranearum provinciarum gubernatio, & tuitio commissa erat SIXTIN. *de Reg. lib. 1. c. 5.* ARUM. *Jur. P. I. Disc. 10. n. 17.*

2. Quo

2. Quâ honoris prærogativâ Imperatores decorârunt Principales Imperii Comitatus THVRINGIÆ, HASSIÆ, ALSATIÆ, ET LEVCHTENBERGIÆ. PETR. ANDL. *lib. 2. de Imp. Rom. c. 16.* SCHOENBORN. *5. polit. c. 39. in fin.* OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 16.* His ab aliis consociantur Susenbergiæ, & Nellenburgii; OLDENB. *d. tr. lib. 2. c. 15. §. 18. 19.* *Eorum in Imp. Principales.*

3. Quos inter post Thuringiæ matrem LANDGRAVII HASSIÆ, tractu dehinc tempestatum Dynastiis, opibusque auctis, in excelsitatem potentiæ plurimum evecti, QVAD. *in Descr. Hass.* magis verò, quippe hodierna adhuc eorum Serenissima Domus à Ducibus Brabantiæ, atque ex Regiâ CAROLI M. stirpe, à qua isti Duces propagati, legitimâ serie Natalium primordia ducit, splendoris Celsissimi nimbo ideo conspicui radiant: Quamvis inscriptionem: DVX BRABANTIÆ; aliàs ipsis competentem, fors ex modestiâ suo Titulo, vel Insignibus Regalibus non adjunxerint. WILLH. DILLICH. *in Chron. Hass. p. 2. sub Anno 1247.* BVRGOLD. *in Not. Rer. Imper. P. I. D. 20. M. 2.* OLDENB. *in d. tr. lib. 3. c. 11.* *Landgraviorum Hassiæ Origa Regia.*

§. XXXI.

1. His ulterius non minori dignitate præditi accedunt *BVRGGRAVII,* in Imperii castris, adjacente Civitate, & Territorio commissæ Jurisdictionis supremæ potiti, utpote Pacis Publicæ Clypei, & Judiciorum publicorum Præsides, merum Imperium LOCO IMPERATORIS exercentes. *Burggravius quis? ejus Officium illustre*

2. Præcipuè vero iis terris, quæ donatione IMPERATORVM Ecclesiæ accesserunt, præficiebantur. Hinc in Diœcesibus, cum olim Episcopi Juribus Civilibus destituti essent, missi Jus Civile dicebant. Duplex enim in Episcopatibus erat Judicium: SPIRITVALE, cujus Caput Episcopus; & SECVLARE, cujus Præsidium Burggravius tenebat. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2, c. 15. §. 23.* *idque singulare.*

3. Horum in Imperio magnæ potestatis olim designati Burggravii Quatuor Principales fuerunt; videlicet MAGDEBVRGENSIS, NORIMBERGENSIS, REINECCENSIS, & STROMBERGENSIS; qui Principum dignitate, & prærogativâ gaudent. WEHN. *in Obs. Pr. verb.* Burg. I. IAC. DRACO *de Orig. & Jur. Patric. c. 4. n. 13.* CARPZ. *ad L. R. c. 3. Sect. 13. n. 39.* *Illorum in Imperio ordo vel Principalis;*

4. Atque ideo ab his reliqui Burggravii Imperialium arcium, à Ganerbinatu, sive à Nobilibus eorum Castellorum Condominis electi, & in Civitate FRIDBERGÆ, & GEILNHVSANÆ existentes, licet Burggravii Castrorum Cæsaris, & Imperii vocentur, eminentiâ tamen, & Autoritate Illis Minores disparascunt. OLDENB. *lib. 2. c. 15. §. 24. 25. 26.* *vel Non-Principalis*

§. XXXII.

1. Comitum hinc dignitatem ab antiquo proximam, imo æqualem ferè Principum fastigio, cæterisque tam Militaribus, quàm Civilibus superiorem fuisse honoribus, facilè intelligendum. Quamvis enim Ducibus inferiores essent, eosque sequerentur, ipsos tamen comitantes Principum dignatione fulgebant. *Comitum antiquorum splendor.*

Unde & cum Ducibus populi RECTORES existebant, & quod Dux posthinc in Ducatu, illud in Comitatu valebat Comes.

Forum distinctio.

2. Interim inficias haud eundum, Comitum Dignitatem quà MAJOREM & MINOREM potestatem, SVPERIVS, & INFERIVS Dominium, inter se ipsos fuisse, hodieque existere distinctam. Sic Primi, Secundi, & Tertii Gradus Comites Imperio, & Autoritate CONSTANTINI M. extitisse, & Comites Primi Ordinis Illustribus Personis, sive Principibus proximos fuisse, testificante EVSEBIO *lib. 4. c. 1. de vit. Constant.* compertum habemus.

Comitum Modernorum Autoritas, & diversitas.

3. Similem numero ferè, licet Statu, & Gradu insigniter auctam, conspicimus Comitum dignitatem, & Modernorum distinctionem in Theatro Rom. Germanici Imperii Augustissimo. Etenim COMITES GENERALITER in Imperio Rom. Germanico existimantur, qui Dignitate Comitum illustri, ab Imperatore collatâ, bene aucti sunt.

Comes Immediatus quis? & quibusmodis

4. In specie verò vel *IMMEDIATI*, qui *aut* SENATORII, proprie COMITES IMPERII vocati; Et Hi iterum *tam* PRINCIPALES, Germ. Gefürstete sive Fürstenmäßige Graffen dicti, qui unà cum purpurâ Principis de Comitatu, Principatûs dignitate condecorato, vestiti, & in Senatu Principum eorundem Jurium, sicuti alii Principes Imperii, participes facti sunt; Uti cernuntur Comites Principales Habspurgenses, Tirolonenses, Goerzenses, Hennebergenses, Mompelgardenses; ex Neotericis Arimbergenses; it. Comites Principales de Gradiska &c. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 10.* Quàm SIMPLICES, sive ORIGINARII, qui de Comitatu Imperii, unà cum Dignitate, à Supremò Principe, sive Imperatore investiti sunt, & in Senatu Principum Votum, & Sessionem, inque Territoriis suis Immediatis Jura Imperialia habent; Quales longo Illustris Stemmatis sanguine splenduêre, & juxta nunc splendent Comites Salmenses, Oettingenses, Leiningenses, Orttenburgenses, distincti à Recentioribus, qui à Ferdinando I. ad dignitatem Comitum Imperii producti, quorumque bona feudalia in Carinthia sita sunt. Præterea Comites Solmenses, Hanovienses, Nassovii, Lippienses, Sinzendorffii aliique plurimi in Franconia, Svevia, Wetteravia, simulque districtu Rhenensi, nec non in Westphaliâ: Quibus ideo QVATVOR SCAMNA, respectu quatuor hodie ipsis competentium Suffragiorum Imperialium designata, & ordinata sunt in Comitiis Anno 1653. & 1654. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2. c. 15. n. 33.*

Aut NON-SENATORII Comites, qui quidem ratione Personæ *Immediati*, Cæsari, & Imperio subsunt, atque tam Generis antiquitate, quàm facinorum celebritate, & territorii amplitudine æqualiter *Illustres* sunt, in Senatu tamen Principum Jure Comitiorum carent, & ratione bonorum, Principis, vel alterius Status Imperii VASALLI, aut subditi sunt. add. OLDENB. *d. tr. lib. 2. c. 18. p. 302. & alibi.*

quis Mediatus?

5. Vel *MEDIATI* Comites, qui albo Imperii, VEL adscripti, VEL quondam incorporati, attamen à Superiori eorum Immediato Domino Exemti, & Personæ & rei ratione Principi vel Statui Imperii, in, vel sub cujus Territorio Feuda sua ab Eô tenent, & Vasallagii, & Homagii præstiti religione obstringuntur; Quales habentur, & ideo eximuntur in Austria Comites HARDECKII &c. in Burgundiâ EGMONDENSES &c. in Saxonia MANSFELDENSES &c. in Iuliaco MANDERSCHEIDENSES, aliique multi, vulgo dicti LANDSASSII.

6. Vel

6. Vel *NUDI*, & merè titulares, sans terre & domaine Gallis vocati; quibus definitio Comitis supra Generaliter descripta convenit: Nimirum, qui solùm Comitis titulum illustrem, & competentem prærogativam absque tamen Investiturâ Comitatûs, aut relatione in Imperii matriculam à Cæsare ob inclytorum Meritorum, Virtutumque Majorum præstantiam adepti sunt. Conf. PANCIR. *Th. Var. lect. I. c. 88.* CONRING. *in Disc. de Comit* OLDENB. *d. tr. lib. 2. c. 15. §. 1. 6. seqq. c. 18. §. 32.* *quis titularis?*

§. XXXIII.

1. Denique Comitum Ordine BARONES certâ ratione comprehenduntur. Etenim Baronis dignitas vetusta; illosque à voce Pares, utpote PARES CURIÆ Regiæ, siveImperialis, VEL, ut alii alludunt, Pares Comitum, p. duro in, b. molle mutato, & Vocabulo, PAR, litterâ, o. ex idiomate linguæ tunc temporis corruptæ adjectâ, nomen sumpsisse, derivatio rei, & Origini convenientior, & verior esse videtur reliquis, quæ referuntur à FRECCIA *in subfeud. lib. I. tit. de Or. Bar.* VULT. *c. 4. n. 14.* PANCIR. *Th. Var. lect. I. c. 88.* *Baro unde?*

2. Quippe Nomina Nobilitatis potissimum ex Jure beneficiario, seu Feudali descendunt. Sicuti Germ. die Freyen, die Edle Herren, sive Frey-Herren dicti, & inter Pares Curiæ Imperialis relati reperiuntur *Ratio Etymi*

3. Quibus arcium, & annexorum, VEL Oppidorum, VEL pagorum, & agrorum unà cum Jurisdictione administratio, quæ propriè BARONIA vocatur, nomine Beneficii, *vel* Officii à Rege, *vel* Imperatore conferebatur. *Baronum Status & Magistratus ab antiquo illustris.*

Cujus certitudo ex eô liquet, quod in regnis Siciliæ, & Neapolis, Galliâ, & Ducatu Mediolanensi iidem Feudatarii, Officiarii, & Magistratus ab antiquo, & nunc appellitentur BARONES; teste GARS. MASTRILL. *de Magistr. lib. 4. c. 1. n. 10.* CHASSAN. *in Catal. Glor. Mund. p. 8. consf. 39;* Nec non tempestate CAROLI M. Cataloniâ ab illo perdomatâ, ejusque Gubernatione in Comitatus, Vice-Comitatus, & Baronias dispartitâ, hi, quibus perfunctio Jurisdictionis in Castris, & arcibus à Rege concessa, ideo Barones vocati fuerint. FONTANELL. *in tr. de pact. Nupt. clauf. gl. 10. p. 1. n. 6.*

4. Quæ Definitio in Baronibus Germaniæ Veteribus eo minus dubii habere potest, quo magis ruderum in Germaniâ conspectus, & Usus Titulorum illud satis ostendit. Cujusmodi fuerunt, & adhuc florent Barones Ravensteinii in Juliaco; Heldrungiæ ad Unstrutam; & Tautenbergii in Saxonia: Epsteinii & Mynzenbergii in Wetteravia: Limpurgi, & Scharffeneckii in Franconia: Lippienses in Westphalia, aliique Illustrium Nominum: Imprimis in Svevia Barones BEUTELSBACHII, ex quibus Baro CONRADUS, Alberti filius, ab HENRICO IV. Imperat. Comes Wirtenbergicus I. investitus fuit, cujus posteri Jure tam Martis, quam Hymenæi, nec non beneficio Imperatorum, & Imperii, fines Ditionis proximis Comitatibus auxerunt; & tandem ex his Comitibus Suc- *Baronum in Germania Veterum Exempla.*

 cessor

cellor EBERHARDVS Barbatus Anno 1495. à Maximiliano I. Dignitate Ducali sublimatus est.

Baronis intellectus non Generalis, sed omnino specialis: 5. Nomen igitur Baronum in Genere Voci DOMINORVM Illustrium, nimirum Principum, & Comitum Synonymicè respondere, eorumque conceptum generalem involvere, uti quibusdam Doctoribus, magnæ aliàs Autoritatis asserere placet, iis assentiri ideo cohibemur, quod DOMINVS quidem in suo Generali conceptu Imperatorem, Regem, Principem, cæterosque Illustres, & Nobiles Personas, imo unumquemque Patremfamiliàs complectatur; quam tamen significationem Voci BARONIS imprimendam esse vix probabile est; quanquam contrarium autumant eleganter quidem alludendo MATTH. DE AFFLICT. *ad c. 1. pr. n. 2. I. F. 1.* MOZZ. *ibid. n. 17.*

ejus ratio. 6. BARO namque, quà Originem, & naturam suam, specialem tantummodò Dominorum Ordinem denotat, & idcircò Generalem complexum Domini in se habere nequit; Quamvis Germanico idiomate exprimatur: Herr. Eâ nempe compellatione, & Titulo dirigitur Oratio ad Dominum non in Genere, sed in specie denotatum, qui aliàs cum addito: Edler Herr, Frey-Herr, Edler Banner-Herr dicitur, & Veteribus Saxonibus ADELINGVS majoris ordinis erat, uti annotat BEVTER *in Tac. de Moribus Germ. c. 43.* conf. ANDR. KNICH. *in Encycl. c. 2. n. 77. seqq.* CHASSAN. *in d. Cat. Glor. Mund. part. 8. consf. 15.*

Illustris Veterum Baronum Dignitas: eaque Originaria. 7. Ex quibus singularitas Baronis haud parum elucescit. Qui sicuti Vir Generosus, & Illustris personæ existimationem gerebat: ita prænobili majorique dignitate præcedebat Omnem simplicem Feudatarium, & inter Optimates Regni relatus ideo Comitibus æquiparatus est. Nec abs re hoc fiebat. Quippe ex usu Veterum Familiarum Illustrsrum, qui hodieque viget, liberis natu Minoribus Castella, sive Arces, & Territoria juxta assita, una cum immunitate ab Omnibus Provinciæ Oneribus pro suâ portione tantùm assignabantur, relicto regno, vel Ducatu cum Augustâ Dignitate Filio Protogeno. Quales Districtus Imperio immediatè subjecti, & plura minora Feuda, & Vasallos complectentes, ideo BARONATVS Freye Herrschafften; & Domini eorum, BARONES, Freye Edle Herren, sive Capitanei Regni, tanquam PARES inter Optimates Curiæ Imperialis vocabantur. Qui, veluti Vasalli, Imperio, præterquàm nulli, obnoxii erant.

Baronum in Imperio moderna distinctio. 8. *Hodie* BARONES Imperii, AVT *IMMEDIATI*, qui illustrem Dignitatis Regalis gradum VEL cum Baronatûs investiturâ, VEL sine eâ ab Imperatore consecuti sunt.

Baro Immediatus absolute talis quis? Horum tituli diversitas. 9. ILLIVS Generis in Imperio existunt, qui ratione Personæ & Rei κατ' ἐξοχὴν Immediati, & ideo Status Imperii in Senatum Principum aggregati sunt, Germanicoque stylo prædicantur:

α) *Modo* SEMPER-Freye Herren, quasi Præcipui inter Barones, uti quibusdam Ddbus videtur. Quorum classem pauci complent. Ex antiquis claruêre Limpurgici, & adhuc gloriosæ Autoritatis enitent Westerburgici, à Comitibus Leiningensibus repræsentati.

β) *Modo* tantùm simplici, & antiquissimo Titulo Herren, ut AVSTRIACI: Herren auf der Windischen Marck, Portenau und Salius: WÜRTENBERGICI:

GICI, Herren zu Heydenheim: MEGAPOLITANI, Herren der Lande Rostock und Stargard: ANHALTINI, Herren zu Zerbst und Bärenburg: HANOVIENSES, Herren zu Müntzenberg: LOEWENSTEINENSES, Herren zu Scharffeneck: NASSOVII, Herren zu Wißbaden und Itzstein: HOHENLOHENSES, Herren zu Langenburg, *Baronen* zu Lieffeld, WALDBVRGII *Erbtruchsii* Herren von Waldtburg &c. &c.

γ) *Modo* ex recenti stylo Frey-Herren, uti WOLCKENSTEINII, Frey-Herren zu Ober-Sultzburg und Birnbaum: GRAFFENEKII, Frey-Herren zu Graffeneck und Eglingen, PALLANDI Frey-Herren zu Witten ic.

10. ALTERIVS Generis verò seriem intrant, qui secundum Quid, & RATIONE PERSONÆ quidem Immediati, RATIONE REI autem de Baronatu à Statu Imperii investiti, hujusque Vasalli, & subjecti sunt. *quis Immediatus secundum quid?*

11. Aut *MEDIATI*, qui in matriculam Imperii vel nondum, vel quondam cooptati, sed à DOMINO Superiori immediato exemti, & ratione Personæ, & Rei Principi, aliique Statui Imperii subsunt, ejusque LANDSASSII audiunt. Uti sunt in Austria Barones de Rappoltstein, de Fleckenstein &c. alii idgenus in Bavaria, Saxoniâ, Franconiâ, Sveviâ, Circulo Rhenensi utroque, Westphaliâ, & alibi plurimi. Quos inter eminent, quorum dignitas, collata à Cæsare, ob Virtutum, & facinorum eximietatem singulariter illustri titulo macta fuit, veluti Barones SCHAFFGOTSCHII cum prænobilii augmento: SEMPER-Frey; ab Imperatore Ferdinando II. investiti sunt. *quis Mediatus?*

12. Aut *NVDI*, sive merè *TITVLARES*, qui solo Baronis titulo ab Imperatore ob virtutum, & scientiæ præstantissimæ, rerumque bene gestarum celebritatem exornati, & sine terra & dominio in Imperio existunt. conf. BVRGOLD. *in Tr. ad Instr. pac. part. I. Disc. 21. m. 3.* OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2. c. 16. & 18. & alibi.* *quis Titularis?*

§. XXXIV.

Æquales hinc BARONES Comitibus Imperii censeri, illudque theorema de iis Baronibus solùm accipi, qui ab Imperatore, vel Imperio Jura Imperii, sive Regalia, atque ita parem, sicuti Comites obtinent dignitatem, & Status Imperii, jure Voti, & Sessionis collectivæ simul investiti, existunt; ZAS. *de feud. p. 5. n. 25. 27.* SCHENCK. *c. 1. quis dicatur Dux.* Quique, licet Comitem immediatè sequantur, re ipsâ tamen æqualibus ferè cum iis fruuntur privilegiis, ac pari Dignitatis jure censentur, BVXTORFF. *tit. D. pos. 5. ad aur. Bull.* CHASS. *in Catal. Gl. mund. p. 5. conf. 55. & 56.* Proinde eosdem jure etiam Archivi gaudere, &, sicuti Comites, rectè ILLVSTRES salutari; MAR. FRECC. *in tr. an subinfeud. lib. 1. in pr. n. 14.* atque hac ratione præferri Comitibus, subjectis Principi, qui non sunt Status Imperii, nec Superioritatem Territorialem, sicut Barones isti Imperii habent, res expedita, & certissima est. *Cap.* CAROLI VI. *Art. 3.* STEPH. *de Jurisd. lib. 2. p. 1. c. 6.* GASTEL. *de Super. loco. n. 36.* KLOCK. *III. conf. 102. n. 58-60.* *Paritas Baronum cum Comitibus restricta*

§. XXXV.

Feuda Imperii Temporaria, naturâ suâ posthinc alterata, quæ occasio.

Licet autem hæc illustria beneficia, sive feuda Majora Principum, Ducum, Comitum, & Baronum, illa ætate CAROLI M. & ejus Successorum essent TEMPORARIA, KLOCK. *tom. III. Consf. 25. n. 280.* illorum tamen liberi, masculi præcipuè, implorato Imperatore, ab administratione illarum provinciarum penitus non excludebantur, sed in ejus continuatione, consideratis Parentum meritis, potissimum confirmabantur. PARLADOR *rer. quotid. l. 6. 2. c. 13. n. 2.*

Ideo factum, ut Gubernatores, Duces, Comites, & reliqui Capitanei, Valvasoresque Majores non mediocrem sensim in Imperio nacti fuerint potestatem. Cum quilibet in provinciâ sibi commissâ Cæsaris Autoritatem gereret, & tam cumulatis divitiis, quàm acri paratoque præstaret milite. KIRCHN. *de Republ. Disp. 8. th. 1. lit. a.* Quæ res occasio fuit, ut eorum potentia, subsequentibus posthinc temporibus, ætate imprimis Impp. CAROLI SIMPLICIS, & HENRICI IV. exauctorati, tantò increverit, & ingentes Principibus Episcopisque animos addiderit.

§. XXXVI.

Feudorum Imperii Transitoria ex Cæsarea Autoritate Concessio

1. Visâ intereà Imperatoribus necessitate, & urgente Status gubernandi ratione, videlicet, quod Imperium amplissimum fortissimas exposceret ad ejus conservationem vires; & quo majus impetuosorum hostium periculum, acrius bellum, difficilius prælium, eo cautiùs Orbi fluctuanti subveniendum, eoque magis concatenatum fidelium Procerum, subjectorumvé robur necessarium, atque ideo majora virtutum præmia, honores, & beneficia iis, obstringendis ad præstandam fidelitatem, & servitia, tribuenda essent; successu temporis idcirco Jus Feudorum Imperii Rom. Germanici in florentissimum vigorem erectum est.

Quandoquidem Nobilia illa feuda, & Regalia non ad dies tantùm vitæ, & filiorum successionem, sed & beneficentiâ Impp. LVDOVICI PII, LOTHARII I. HENRICI AVCVPIS, OTTONVM, CONRADI II. ejusque Successorum, HENRICI III. & FRIDERICI I. tam ad nepotes ex filio, quàm ad fratres, fratrumque filios, nec non ulterius ad septimum geniculum, Jure Civili computandum, denique ad omnes hæredes, masculini sexus, liberos, & Agnatos sub lege fidelitatis, & servitiorum, tam Militarium, quàm Curialium facta fuérunt Omnia TRANSITORIA, & perpetua, ita ut in feudis, requisito Domino investiente, MASCVLI LEGITIMI descendentes, proximique collaterales in infinitum succederent, *c. 1. §. 4. I. F. 1. & ibi Interpp. c. 1. de nat. succ. feud. II. F. 50.* KNICHEN. *in Encyclop. c. 1. n. 123.* ZIEGL. *de Jur. maj. lib. 1. c. 28. n. 6-8.* TAM in Ecclesiasticis, & Ecclesiæ, *c. ex parte tua. 2. X. de feud.* GL. & DD. *in l. ex facto 17. D. ad Trebell.* QVAM in secularibus.

Directa ad Masculos descendentes & Agnatos

quid Juris num ad Clericos?

2. Quamvis filius etiam Clericus Episcopus, vel alius Prælatus esset, maximè si iste succedens per substitutum, Domino acceptabilem, servire, & adsistere paratus sit: Laudensi id cum aliis contra Belvisonem asserente *in c. 1. de his qui feud.*

feud. dar. pos. atque Dominus, datâ investiturâ, per hunc sibi servire vel *expressè* permiserit, vel *tacitè* passus fuerit CARPZ. *II. Dec. 171. n. 6. seqq.*

3. Exclusis tamen ab hâc successione FOEMINIS; quanquam feudum fœmineum, sive maternum, aut francum, aut etiam fœmina virago, & armis assueta fuerit *c. 1. de feud. fœmin.* BALD. & LAUD. *in d. c. 1. I. F. 1. verb. & quia n. 9.* PFEIL. *Cent. 1. cons. 73.* FINCKELTH. *Disp. F. 6.* qui quoad francum th. 25. diss. quâ Emtum vero th. 26. assentit. *Separatis fœminis.*

4. Nisi VEL nominata in investiturâ, sive pacto speciali in investiturâ fœminis certo gradu, vel in infinitum successio concessa sit: *c. 1. §. 3. I. F. 1. c. 2. de feud. March.* VEL ipsa feudum redemerit à Domino; VEL Dominus ei dederit propter servitia, & fidelitatem Patris præstitam. BALD. *in d. c. 1. verb. & quia vidimus. n. 9. I. F. 1.* VEL in feudo fœminino masculi deficiant; eo enim casu fœminæ in subsidium admittuntur, per substitutum masculum servientes; HARTM. PIST. *lib. 2. qu. 34. n. 23-28.* KNICH. *de Vestit. pact. p. 1. c. 3. n. 1. seqq.* CARPZ. *II. Dec. 171. n. 19.* VEL consuetudine contrariâ aliud introductum sit; uti in universâ Lotharingia fœminas feudi capaces esse meminit: BODIN. *l. 2. n. 192. de Rep.* VULT. *de feud. I. c. 9. n. 64. 65.* VEL feudum mixtum, aut merè hæreditarium, utpote allodio simile, extiterit: In quo tamen fœminarum non aliter quoad successionem ratio habetur, quam masculo hærede deficiente. Hic enim, tametsi remotior esset, præfertur tamen fœminæ etiam proximiori. VULT. *de feud. I. c. 9. n. 76. 77.* CARPZOV. *d. Decis. 171. n. 20. 21. seqq.* ubi adhuc duas notabiles limitationes annectit. Dn. I. H. de BERGER. *part. II. Resp. 122.* *Exceptiones Fœminis in succedendo. Feudi faventes*

§. XXXVII.

1. Intrepidè hinc asserendum est, quod ipsâ Regiâ, sive Imperatoriâ, Investiturâ, cujus vi, & nexu dictas Provincias, & Dynastias Possessoribus, & Administratoribus in Feuda Imperii PERPETUA Imperatores concesserunt, istis simul Regalis Dignitas, & Autoritas in ac cum Territoriis suis Illustribus communicata fuerit: Quam hæreditario Jure dein ad Successores devolverunt, TIRAQUELL. *T. 1. c. 7. n. 1. seqq. de Nobil. & c. 37. n. 58.* *Cæsaream Feudorum Imperii Investituram Dignitatem Regal. Electoribus Princ. & Statibus tribuisse*

Sicuti eâdem ratione, licet gradu & Autoritate excellentiori, in ELECTORUM utpotâ Archi-Principum, opinionem juxta vulgarem, ab Ottone III. Impp. ordinato, secundum veriorem tamen circa longævum illud post Friderici II. mortem Interregnum sensim, tacito Ordinum consensu & consuetudine introducto, ac posthinc communi Procerum suffragiô à CAROLO IV. per A. B. approbato, & confirmato SEPTEMVIRATU; nunc Novemviratu; nec non in Austriæ ab Imperatoribus Rudolpho Habsp. Maximil. I. & Carolo V. decorato Archi-Ducatu, Personæ illæ Serenissimæ dignitates suas, Jura, & Privilegia præeminentiora, eorumque confirmationem cum Investiturâ Electoratuum, & Archi-Ducatûs simul adeptæ fuerunt, OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2. c. 1.*

2. Ita ut tunc, & nunc, specialiter, propriè, verèque IMPERII Princeps, sive Elector, Archi-Dux, Dux, Palatinus, Marchio, Landgravius, Burggravius, similiter Comes, Baro Imp. Rom. ille existat & honoretur, qui VEL de Electoratu, *Specialiorum Statuum definitio*

VEL

VEL Archiducatu, VEL Ducatu, VEL Principatu, VEL Palatinatu, VEL Marchionatu, VEL Landgraviatu, VEL Burggraviatu, utpote Principatibus Imperialibus, VEL Comitatu, VEL Baronia, sive alio Capitaneatu seu Valvasoratu Majori Imperii Rom. Germ. cum annexo Jure Superioritatis, & Regalium ab IMPERATORE, vel REGE ROM. investitus est FRITZSCH. *in J. P. p.ff.* CHASSAN. *in cat. Glor. mund. part. 5. consf. 44. & part. 8. consf. 1. & consf. 5. & alibi.*

§. XXXVIII.

Ex beneficiâ Cæsarum Investiturâ Pontifici Rom. & Omni Clero in Imperio Rom. Germ. Regalem Dignitatem aliaque Jura Politica accessisse.

Atque Imperatoriâ hac Investiturâ ipse PONTIFEX Romanus, & venerabilis in Italia Clerus secundum suprà allata suam Regalem Dignitatem, & Autoritatem cum ditionibus feudo subjectis obtinuerunt; Quemadmodum similiter eàdem honoris, & Regalium prærogativâ posthinc etiam in Germaniâ ARCHI-EPISCOPI, EPISCOPI, ABBATES, ABBATISSÆ, PRÆPOSITI &c. cum suis territoriis feudo concessis ex largitione, & Investiturâ CÆSARVM honestati; hoc ipso, præcipuè OTTONIS M. & subseqq. Imperatorum beneficio, Imperii Principum, & Comitum Ordini sociati, & ideo, sicut Omnes præmemorati Proceres, Jure communi Imperii VASSI, FIDELES, & CAPITANEI, sive, ut hodie Vasalli Majores effecti, & proinde ELECTORES quoque ECCLESIASTICI, & Episcopus juxta Herbipolensis cum titulo Ducis Franconiæ, aliique Politicam potestatem simul nacti fuere. Quos Archipræsules hinc tam respectu Ecclesiæ, quæ Imperatoris Soror audit, quàm etiam Consilii Intimi intuitu, ab illo SVOS NEPOTES, Unsere lieben Neven appellari, ipsosque jure Sessionis, votandi, & eligendi cum Electoribus Secularibus gaudere, licet nondum à Pontifice pallio redemto infulati, & confirmati sint, ex actis Curiæ Imperialis publicis compertum habetur. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2. c. 1. th. 9. & c. 2. th. 4. 5. 6.*

§. XXXIX.

Nobilitas ex Cæsareâ feudi nobilis Investiturâ Orta, omnium excellentior. sive feudum Datum;

1. Sicuti autem ex prioribus, & aliàs jure notum & perspectum est, quod NOVUM Imperii feudum ab Imperatore, & Rege Rom. (aut aliâ supremâ Potestate, jus Nobilitandi habente) pro NOBILI Feudo, cui annexa est dignitas, DATVM, accipientem eô ipsô NOBILITET; *c. un. §. qui vero in Principe II. F. 10.* ZASIVS *de feud. p. 2. n. 3.* TIRAQVELL. *d. tr. de Nobil. c. 7. n. 14.* OBRECHT. *Disp. feud. I. th. 34.* etsi Persona, & Possessor investitus *ignobilis* fuerit, ÆGID. MAGIST. *in tr. de Amortiz. c. 5. n. 7.*

2. Et quo sublimior est Autor Feudi Nobilis, eo major Nobilitas ex ejus investiturâ retundans. Unde & illa ab Imperatore, & Rege Rom. impetrata, ob Autoris Augustmi supereminentiam, omnium *nobilissima* in suo ordine judicatur. BESOLD. *part. 4. consf. 194. qu. 9. n. 114. seqq.* Proinde quo antiquior ejusmodi Feudi est possessio, eo dignior habetur Persona possidens. **Terra enim feudalis hic nobilitatem dat, quod in Feudis Illustribus antiquis speciale, & singula-**

gularissimum est. Et ideo isti Feudatarii, qui Investituram, & Dignitatem ab Imperatore collatam habent, reliquis, qui vel à Rege, vel Liberâ Republ. aut alio, inferiore ipso Imperatore, & Rege Rom., veluti, Duce, Comite dependent, merito præferuntur, uti supra de Baronibus, Illustribus R. I. Capitaneis, seu Majoribus Vasallis monuimus: *add. R. I. 1548. §. Wiewohl auch. l. 6. C. de Advoc. div. Jud. l. ult. D. de alb. scrib.*:

3. Ita nihil obstat, sive etiam Feudum OBLATUM fuerit, quo minus ex investiturâ Imperatoris insecutâ dignitas illustris Vasalli Imperii judicanda sit. Quandoquidem in hoc non Status præteritus, sed prima Investitura, quâ Vasallus Imperatori, & Imperio, præstitâ fidelitate, se subjecit, respicitur. *sive oblatum.*

§. XL.

1. Sine dubio ex eo est, quod, intuitu hujus Originariæ Cæsareæ Nobilitatis, stylus Curiæ Germanorum antiquus Principes Imperii *Seculares* ideo *titulo* NOBILIUM, tanquam proprio, insigniret; veluti vetusta monumenta, & Instrumenta, quibus prædicantur *Nobiles*, *Nobilissimi* Principes, die Edle Hertzogen, die Edle Junckherren, aperte comprobant. FREH. *tom. I. rer. Germ. in Histor. Aust.* LEIM. *in Chron. S.* [illegible] *lib. 5. c. 105. p. 625.* *Inscriptionis Nobilissimi, & Nobilis Ussus antiquus;*

2. Quo etiam Curia Romana in salutandis Electoribus, & Principibus Imperii hodieque uti studet. LUD. RUDOLPH. DE SUBLONET, *de Orig. Dig. & Pot. Duc. Ital. n. 137.* *receptus in Curiâ Papali;*

3. Licet, temporibus, & moribus mutatis, literæ Pontificis Romani ita rubricatæ ab Augustanæ Confessioni addictis Principibus, huic potius compellationi, hodienum incongruæ, contradicentibus, non recipiantur. Uti ex Actis Conventûs Principum Imperii Naumburgi apud Salam, 1561. habiti luculenter patescit. Cum sequentibus ævis Titulus ille Mediæ, & minoris NOBILITATIS personis, iis etiam, qui per feudum Imperii non investiti, utpote Comitibus Mediatis, Baronibus simplicibus, dein Equitibus, JCtis & Doctoribus, nec non Nobilibus in specie Germ. Edle Knechte, vocatis, tribui cepit. *Modernus in Germania.*

§. XLI

Non solùm vero isti Feudatarii investiturâ Imperatoriâ dignitatem, sed etiam cum dominio Utili rei feudalis possessionem, Juraque Superioritatis, seu Jurisdictionis territorialis acquisiverunt; LIMNÆ. *J. P. lib. I. c. 7. n. ult.* quippe Imperatores eâ Investitura, quæ nexu feudali per traditionem rei infeudatæ veram, vel fictam fit, *communicarunt* de *suo*, suâque autoritate realiter in Vasallos Imperii translatâ. *Investiturâ Feud. illustrium Cæsareâ communicatam fuisse Superioritatem territorialem.*

2. Ex quo est, quod ejus vigore illi Vasalli propriè investiti, eorumque hæredes, & Successores Jus, & omnem potestatem, & Utilitatem, quam Dominus investiens quà illud Feudum tenuit, solo suprematu Imperialis Jurisdictionis, Dominioque directo Superiori, nec non Reservatis, sive Sacris sacrorum, & oneribus vasalliticis salvis, & illæsis, consecuti sint. SCHRAD. *in tr. de feud. p. 9. part. 2. sect. 10. n. 36. seq.* HARPR. *ad §. 12. n. 109. I. de R. D.*

3. Quæ SUPERIORITAS TERRITORIALIS Jure Canonico Majoritas, & Majoricatus; *t. t. X. de Major. & Obed.* aliàs Jus inferioris Majestatis, sive Potestas Majestati Imperatoriæ analoga, it. Jus territorii Regium, Jus Principum, summa Jurisdi- *Ejus Synonyma diversa.*

K

risdictio, & ratione diversi Subjecti, & Objecti, Germ. die hohe Landes-Fürstl. Gräfl., sive Landesherrliche Obrigkeit appellatur. SCHUTZ. *de stat. Rei Rom. Vol. I. Exerc. 4. th. 4.* MING. *de superior. terr. concl. 5.*

§. XLII.

Ex Superioritate promanare Arbitrium disponendi, & Feudandi;

Quemadmodum igitur hoc participatô in Territoriis Jure Superiori, & liberâ administrandi, sive disponendi facultate fundatur illa Theorica: quod Feudatarius, & Status Imperii in suo Territorio tantùm possit, quantùm Imperator in Imperio universo. HEIG. *p. 2. qu. 40. n. 22. & 25.* KLOCK. *P. I. Cons. 50. n. 80. seqq.* STRYCK. *de Succ. ab int. Diss. 8. c. 7. §. 29.* quam etiam in Civitatibus Imperialibus Immediaris, quæ Jura Principis in Territorio suo habent, obtinere tradit. GAIL. *II. Obs. 57. n. 7.* KLOCK. *II. Cons. 94. n. 15. 16.* Cum eo nomine quilibet Status Imperatorem in suo Territorio repræsentet, exceptis solùm, in signum supremæ Potestatis, Imperatori Reservatis; BESOLD. *p. 5. cons. 233. n. 11.*:

Ita nunc prono ulterius alveo ex ea promanat, istos Vasallos, sicuti Jure ferendi leges, Archivum condendi, Magistratus creandi, bellandi, pacificandi, Jurisdictionem mandandi, aliaque Regalia licitô modô exercendi, similiter quoque eos facultate DANDI FEUDA pollere.

atque Jus Feudale.

2. Quo rationis verô scipione nititur illa lex Longobardica, I. F. I. quod Archi-Episcopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, Dux, Marchio, Comes, & cæteri Regni, seu Imperii Capitanei FEUDA DARE possint; qui, peræquè ac Barones Imperii, eo respectu recte DOMINI DIRECTI, & Superiores quà suos Vasallos audiunt. ROSENTH. *IX. concl. 32. & 64. n. 9.* Cum non solùm facultate de re feudali utendi fruendi, sed & dominandi, sive eam rem pro arbitrio moderandi, & liberè administrandi, quatenus jure permittitur, potiuntur.

§. XLIII.

A Superioritate Dominii dependere Autoritatem Domini, Regalia & Feuda.

Atque hæc nunc pluribus enucleata, & dilucidata DOMINII *Origo, incrementum, splendor, & conservatio*, satis evidens præbet argumentum, quod Autoritas Domini substantialiter consistat in superioritate Territoriali: ex cujus beneficentiâ PRIVILEGIA, FEUDA, DIGNITATES, & PRÆDIA BENEFICIARIA progerminant. Siquidem ille Regalium, & Feudorum Dator est, qui in Regno, & Territorio VEL ex se supremâ gaudet potestate, VEL ab alio communicatam tenet superioritatem, cujus vigore plenum, & absolutum Dominium, liberamque rerum suarum administrationem exercet, *c. 1. quis dic. Dux & c. 1. de feud. March.* MENOCH. *de Arbitr. Jud. lib. 2. cas. 182. n. 16. Cent. II.*

Autoritas Domini quid?

Unde Autoritas Domini non inconcinnè describitur: Complexus Jurium à Superioritate dependentium inhærens ei, qui vel à se, vel ab alio communicatum habet τὸ κύριον, seu potestatem liberè, & legitimè de rebus suis disponendi *I. F. I. c. 1. per quos fiat invest.*

§. XLIV.

§. XLIV.

Autoritas Domini communicabilis. vel Major vel Minor. Dominii pro modo habendi distinctio.

Liquet hinc, quod ea Autoritas Domini certâ ratione COMMUNICABILIS sit, quæ ab uno ad alterum rectè, & legitimè transferri possit, idque VEL proprio arbitrio, VEL Superioris permissu, sive consensu, expresso vel tacito MEV. *P. III. Dec. 101.* Et ideo ea Autoritas Domini intuitu Subjecti, & Objecti VEL *Major* VEL *Minor* dicitur: *c. scitote. 2. qu. 3. cau. 6. n. 2.* Sicuti ille VEL superior VEL inferior, & Dominium pro diverso modo habendi VEL Plenum, idque *aut* Eminens, *aut* vulgare, *aut* liberum, *aut* Restrictum; VEL Minus-Plenum, idque *sive* improprium, *sive* Proprium, & hoc AUT Directum AUT Utile.

§. XLV.

Dominii Divisionis juxta verum intellectum ab objurgatione Vindicia.

Et licet Dominium, sive Jus illud *vel* in Personam, *vel* in rem nostram, sive nobis propriam competens cum facultate de eâ utendi fruendi, vel etiam abutendi, nisi lex obstet, conjunctum, regulariter unicum numero, & substantiâ sit *per l. 14. §. 2. D. de except. rei jud. & ibi Dd.* Cum unius, & ejusdem rei DUO domini, & possessores in solidum esse nequeant, *l. si ut certo. 5. §. 15. D. commod.* Attamen, ratione exercitii, & diversarum Qualitatum Subjectis, & Objectis inexistentium, Dominium diversum esse contradici non potest, *l. 20. C. de pact. & ibi Dd.* quicquid obloquantur ISERN. *in c. un. de feud. sine cul. amitt.* NIEL *disp. I. th. 6.* FOERST. *de Dom. c. 5. n. 40.* Nec enim ad rejectionem Divisionum Dominii v. gr. Pleni & Minus-Pleni, Directi & Utilis, ex eo, quod hæc, vel illa doctrinalis, & Usualis distinctio in Jure Civili non reperiatur, statim Argumentum valet; quandoquidem eæ, sicut aliæ, nihilominus re ipsâ, quanquam non expressis verbis, in isto contineantur, & ideo, quæ utilitatis, & necessitatis gratiâ, exemplo Actionis Directæ, & Utilis, meritò retinentur, firmiter negari nequeunt. HEIG. *in Comm. ad Rub. Inst. Jur. de R. D. n. 21. 22. seqq.* GOEDD. *ad. l. 25. n. 7. & ad l. 27. n. 17. 18. D. de V. S.* ECKOLD. *ad D. de A. R. D. n. 6.*

§. XLVI.

Autoritas Domini triformis.

1. Unde sequitur, quod Autoritas Domini quoque rationem habeat diversam. Et hoc usu quotidiano comprobatum cernimus, in idem prædium tres pro diverso modo sæpius habere Dominium, nimirum EMINENS Principem, DIRECTUM Seniorem: & UTILE Vasallum, vel Emphyteutam, aut Superficiarium.

Dominium Eminens quid?

2. Sicuti enim DOMINIUM EMINENS est supremum Jus Majestatis, sive Superioritatis territorialis, in personas, & res suæ ditionis ad Status, & Reipubl. utilitatem, & necessitatem dirigendam competens; SCHWED. *Jur. Publ. sect. 2. c. 15. n. 8.*

Dom. Directum quid? in genere in specie.

3. DIRECTUM, utpote species Minus-Pleni Proprii, & aliàs Dominium Proprietatis, sive Nudum dictum, Germ. Grund-Gerechtigkeit, *in genere* Jus proprietatis restrictum, quô res à Domino, separatô Usufructu, propria vel late, vel strictè habetur, & relativè disponitur; *In specie* vero Jus Proprietatis in re beneficiatâ, sive feudali restrictum penes dantem cum potestate superiori retentâ remanens; aliàs κατ' ἐξοχὴν Dominium, Germ. der Grund-Eigenthumb, Lehns-Eigenthumb, quia ratio generica Dominio Directo magis, quam Utili inest, *II. F. 23.* vocatum.

Dom. Utile quid?

4 UTILE Dominium, altera species dominii Minus-Pleni Proprii, Jus cum plenis-

plenissimâ utendi fruendi facultate, & quâdam participatione de proprietate concessum aliquo modo rem ipsam alienandi unà cum perpetuitate, remanente in alio, eoque Superiore rei proprietate. *II. F. 23. II. F. 43.* Germ. der minbere, oder nutzbahre Eigenthumb, dictum, quo Emphyteuta in Emphyteusi, Superficiarius in superficie, & Vasallus in Feudo gaudet:

quibus competat.

Autoritas Domini vel suprema vel subalterna

5. Ita cujusque Domini sua est AUTORITAS, eaque vel SUPREMA, vel SUBORDINATA, seu subalterna, & hæc uti superius dictum, VEL Major, VEL Minor.

SECTIO I.

DE AVTORITATE DOMINI EMINENTIS.

§. XLVII.

Autoritas Domini Eminentis quid?

AUTORITAS DOMINI EMINENTIS est, quæ in existentia, & exercitio Regalium, sive Jurium Imperatori, superiorem non recognoscenti, vel Ei, cui illa à Superiore ex certa scientia, & motu proprio *expressè*, vel *tacitè* concessa, *sive* præscriptione, *sive* consuetudine quæsita sunt, ad utilitatem, & dignitatem, sive Statum Reipubl. conservandum, competentium versatur. SIXT. *de Reg. lib. I. c. 1. n. 14.* BORCHOLT. *in c. un. quæ sunt Regalia n. 3. 6. 14. 15. 17. 18. 19.*

Ejus Affectiones,

2 Veluti hæc AUTORITAS se se exerit in summâ facultate (1) JURISDICTIONIS, tam SECULARIS, quàm ECCLESIASTICÆ; cujus vigore Autoritas, aut MAIESTAS, vel *Secularis*, vel *Ecclesiastica*, rectè dicitur. Quâ utrâque etiam Principes, & Status Imperii in Territoriis suis non *tam* ex feudali nexu, *quàm* Publicâ Conventione, utpote certissimò Dominii Eminentis Lumine, gaudent. HARPR. *Cons. 13. n. 22. 23.* THOMASI. *in not. ad Monzamb. cap. ult.* & proinde (2) LEGIS DIOECESIANÆ, Synodum vocandi, Ecclesias, Scholas, Orphanotrophia &c. visitandi, reformandi; &c. NOV. *15. c. 1.* nec non (3) FERENDARUM LEGUM, Magistratus, & Judices constituendi; *arg. l. 2. §. 14. de O. J. l. un. in pr. de l. Jul. Ambi. l. 57. de re jud.*

(4) NOTARIOS CREANDI; quam superiorem facultatem NOTARIOS *creandi*, sicut & SPURIOS *legitimandi*, HONORI, *& famæ restituendi* ideo quemlibet Statum Imperii in suo Territorio habere, & vi Superioritatis exercere posse, plurimorum Dd. sententia est. IOH. BORCHOLT. *in c. un. quæ sunt Reg. n. 4. & 8.* OTTO *de Jur. Publ. c. 10. n. 5.* & ibi Limnæus. Notarius tamen *Cæsareus* (uti ac Apostolicus) *immediatè* creatus, *vel* Mediatus *immatriculatus*, probatæque scientiæ, fidei, & famæ existens, cæteris omnibus in Imperio & alibi præstantissimus.

(5) ARCHIVUM condendi, & erigendi; RUTG. RULANT. *de Commiss. & Com. P. II. lib. 5. c. 4 n. 41.* (6) PRIVILEGIA concedendi: NOBILITANDI, & conferendi Dignitates, *l. 2. D. de alb. scrib.* GUDELIN. *de Jur. Nov. lib. 5. c. 3. n. 26.* porro (7) ACADEMIAS, & Generale studium, sive Universitatem Studiorum Liberalium, unà cum Jurium, Honorum, Prærogativarum, & Immunitatum indulgentiâ creandi, fundandi & confirmandi; Baro ab ANDLER. *in Corp. Const.*

Imp

Imp. tom. II. voc. Academia. 8) publicam PACEM jubendi, & ejus violatores coercendi; *c. un. de pace tenendâ.* (9) curandi, & tuendi VIAS PUBLICAS, five Regias, Prætorias, & Confulares aliàs dictas; HARPR. *Conf. 49. n. 241.* quarum hinc fecuritas, & purgatio à malis hominibus Dominis Territoriorum adeo incumbit, ut transeuntes, ne in eâ derobentur, indemnes præftent: Quoniam aliàs in publica viâ rapinam perpeſſis damnum inde acceptum refarcire tenentur. BORCHOLT. *in c. un. quæ fint Regalia n. 24. feqq. it. n. 28. 29.* MATTH. COLER. *Conf. 35. n. 16.* HARPR. *l. c. n. 242. usque 247.* (10) curfus publicos five POSTAS, *refpectu* totius Imperii ab Imperatore; *refpectu* Provinciarum à Statibus Imperii inftituendi; Quarum ILLA, tanquam *Univerfalis*, & fuperior, die durchgängige general-Reichs-Post, cujus moderatione fupremâ, tanquam Refervato, *IMPERATOR* ROMANVS, & ejusdem, *inftar feudi mafculini*, ab Imperatore MATTHIA Ao. 1615. conceſsâ Directione Principes DE TASSIS, eorumque Hæredes præcellent; HÆ vero, utpote *Provinciales*, & inferiores, die Land-Posten, Cammer-Wagen, Cammer- und Land-Boten vocari folent, quas quilibet Status Imperii in fuo Territorio ordinat, & difponit. LUDW. AB HORNIGK. *de Reg. Poft. Jur. c. 10. S. 1. lit. B.* SCHROET. *in diff. de Equ. Publ. M. 2.* (11) NVNDINAS folennes ordinandi, & privilegiis ditandi, easque PROLONGANDI; GVDEL. *de Jure Nov. lib. 5. c. 3. n. 27.* HERT. *de fuper. terr. p. 241.* (12) inftruendi, & percipiendi VECTIGALIA publica, vel MARITIMA, vel RIPATICA, vel CAMPESTRIA; quæ exigere olim SOLIVS *REGIS*, five *IMRERATORIS* Romani erat: *L. 10. D. de publ. & vectig.* HODIE vero eorum, quocunque nominis v. gr. *Accifæ, Stapulæ, Cataboli, Stationis, Pedagii, Gabellæ*, Umgeld, *Portorii*, vel alius *Impofta* tegumento veniant, NOVA in Imperio Rom. Germ. inftitutio, aut Conceſſio, vel antiquitûs permiſſorum vectigalium AVGMENTVM, PROROGATIO, & PERPETVATIO legibus Imperii (exceptâ Auftriâ, & Marchiâ Brandenburgicâ) limitata, & ad *confenfum* ELECTORVM fpecialiſſimum, non collegialem tantùm, fed & fimul nullô contradicente, *Unanimem*, atque tam ad Vicinorum Imperii Statuum, quorum intereft, quàm Ordinum ipfius Circuli, in quo vectigal illud *novum* inftitui, concedi, vel *antiquum* augeri, prorogari, & perpetuari debet, *præfcitum* & auditum coarctata eft. *R. I. Ao. 1576. §. 116. 117. 118. Capitul. Cæf.* LEOPOLDI I. *Art. 21.* JOSEPHI I. *Art. 20.* CAROLI VI. *Art. 10.* Atque horum licitorum Vectigalium *fraudatores* pœnam mercium, in commiſſum cadentium, incurrunt, five illarum rerum dominium, quod, dolo perpetrato, acquiritur Fifco, ftatim amittunt, præviâ tamen cognitione, & fententiâ judiciali; BORCHOLT. *in c. un. quæ funt Regalia n. 48. 49.* (13) COLLECTATIONIS, feu imponendi Collectas, cenfus, & contributiones; quæ τεκμήρια, & fymbola *fuperioris Dominii*, & Eminentiæ; NATTA *Conf. 160. n. 38. feqq.* KNICH. *de Jur. Territ. c. 3. n. 322.* BESOLD. *P. II. Conf. 37. & p. 5. Conf. 233.* IOH. LVDOV. *Dec. 43. n. 78.* ROEVENSTRVNCK. im Rechtlichen Bedencken von gemeinen Anlagen. Hinc contentione de finibus Territorii exortâ res controverfa in ejus Jurisdictione, & Territorio comprehendi cenfetur, qui eft in quafi-poſſeſſione indicendi, & percipiendi Collectas: fiquidem folutiones Collectarum quafi-poſſeſſionem, & Præfcriptionem inducunt; NATTA *Conf. 204 n. 6.* GAIL. *II. Obf. 52.* MASCARD. *Concl. 947. n. 1. fequ.* Et de cætero etiam

Dominus CENSALIS ratione reliquorum censiis, & collectæ, si quæ ei debeantur, illeque eorum nomine intervenerit, præfertur omnibus aliis intervenientibus; ÆGID. MAGIST. *Dec. tract. de Præscript. c. 28. n. 2.*
(14) tuendi maritimam proprietatem, & cogendi VELORVM, aut artemonis à navibus præternavigantibus *deductionem*; PEREGRIN. *de Jure fisci, lib. 8. n. 7. & 14.* CONRING. *de Dom. Mar.* STRAVCH. *de Dom. Mar. c. 6.*
(15) NAVIBVS portum Domini maris intrantibus *imponendi vectigal*, easque *inspiciendi*, & inquirendi; PEREGR. *l. c. n. 15. seqq.* HEIG. P. *II. qu. 40. n. 54.* CONRING. *l. c. th. 39.* STRAVCH. *d. tr. c. 7*
(16) de FLVMINIBVS publicis, & navigabilibus disponendi, commoda, & incrementa eorum, sicut & maris percipiendi. *l. 10. C. de SS. Eccl. & l. 2. C. de navib. non excusand.* HEIG. P. *II. qu. 40. n. 36. 37.*
(17 imperandæ STAPVLÆ; SIXT. *de Regal. c. 5. n. 229.*
(18) exstruendi GERANII. KLOCK. *de ærar. lib. 2. c. 16. & de Contr. c. 1. n. 272.*
(19) GRVTIÆ, seu traducendi Ligna super flumine; AHASV. FRITSCH. *tr. Syn. de Jure Grut.* (20) CONDVCENDI, & reditum inde percipiendi; Germ. Geleits-Herrlichkeit, STRUV. *S. J. F. c. 6. th. 23.* cujus duo illustria exempla de Archi-Præsule Moguntino, & Landgravio Hassiæ allegat OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 11. §. 14.* (21) BELLI indicendi, *milites* legendi, *lustrandi, delectum* habendi, & tyronibus arma imponendi; KLOCK. *Vol. I. Cons. 20. n. 13. 14. 15. seqq.* (22) PACEM, & fœdera pangendi; *Nov. 105.* OTTO *de J. P. c. XI. n. 11. & ibi Limnæus.*
(23) FORTALITIA, sive propugnacula extruendi *l. 10. ibi: cunctis. C. de ædif. priv. R. I. Ao. 1654. §. 180.* LIMNÆVS *in J. P. T. 2. lib. 4. c. 8. n. 214. seqq. it. 226. 227. seqq.* HERT, *de super. terr. th. 89.* & *incastellandi*, sive muniendi tempore belli, & necessitatis *templa*, ROL. a VAL. *II. Cons. I. n. 73. & IV. C. 56. n. 6.* TEXT. *de Jure sequ. th. 26. Nov. 7. c. 8.*
(24) PROTECTIONIS, *tam* Secularis, *quàm* Ecclesiasticæ; KNICH. *de Sax. non prov. Jur. c. 5. n. 552.* (25) PRÆSIDII habendi in arce, vel urbe suâ aut alienâ; *Instr. Pac. Art. 8. §. gaudeant.* KLOCK. *I. Cons. 17. n. 46.* nec non (26) APERTVRÆ: quippe Dominus tempore belli custodiam etiam in Castro infeudato, invitô Vasallô, imponere potest. ROL. a VAL. *II. Cons. I. n. 71.* KNICH. *de subl. & reg. terr. Jure c. 4. n. 495.* KLOCK. *l. c.*
(27) SEQVELÆ jubendæ, & exigendi *angarias* & *parangarias*; MYL. ab EHRENB. *de Princ. & Stat. p. 2. c. 76.* TEXT. *de Jure Sequ.*
(28) designandi HOSPITATIONES, (29) coacervandæ ARMANDLÆ, sive Armamentarii publici instruendi; *c. un. II. F. 56.* LIMNÆ. *de J. P. T. 2. lib. 4. c. 8. n. 210.* (30) METALLA fodiendi, aurum, & pretiosos lapides è fluminibus colligendi; SECKENDORF. in Fürsten-Staat *p. 3. c. 3.* rubr. von Bergwercks-regal. *n. 1. 2. 3.* LYNCK. *Dec. 1024.* STRYCK. *de Iur. Princ. subter.* quod Regale primitùs Imperator SIBI SOLI vindicabat; postea vero ex ejus privilegio Electoribus peculiariter accesit, & denique ad Principes alios Statusque Imperii ex speciali Investituræ concessione Cæsareâ pertinere occæpit. OLDENB. *in d. tr. lib. 2. c. 1. §. 18.* (31) cudendi MONETAM *l. 2. l. fin. C. de falf. mon. R. I. Ao. 1570. §.* alsdenn auch die Müntz ic. OTTO *de Iur. publ. c. XI. n. VII.*

n. VII. & ibi Limn. (32) occupandi BONA VACANTIA; FROMMAN. *de Condom. Terr. th. 38.* (33) CONFISCANDI bona damnatorum VEL *(a)* ob crimen læsæ Majestatis, *l. 5. C. ad L. Iul. Maj.* ROL. a VAL. *II. cons. 78. n. 12. 13. & T. IV. cons. 73. n. 8.* VEL *(b)* ob aliud scelestum facinus, confiscationi bonorum obnoxium; *Capit.* LEOPOLDI I. *Art. 27.* & JOSEPH. I. *Art. 26.* LAUTERB. *de Iure Fisci. c. 3. §. 1.*
(34) ALBINAGII, seu vindicandæ hæreditatis peregrinatorum; BECMAN. *in Med. Polit. c. 23. n. 12.* (35) DETRACTIONIS, sive Decimationis substantiæ ex- vel transportandæ; MYL. ab EHRENB. *de Princ. & Stat. Imp. p. 2. c. 63.* MEV. *VII. Dec. 28.* THOMASI. *in diss. de Iure detract.*
(36) imponendi MVLCTAM MAJOREM cum privatione bonorum *l. 5. C. de modo mulctar.* REINK. *de R. S. & Eccl. lib. 2. cl. 2. c. 17. n. 76.* BESOLD. *V. cons. 233.*
(37) VENANDI & PISCANDI; HEIG. *I. q. 15. n. 52. & 54. & II. qu. 40. n. 44. seqq.* PRVCKM. *II. cons. 22. n. 27.*
(38) recipiendi Judæos; HERT. *de Superior. terr. p. 224.* OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 2. c. 1. th. 19. seqq.* (39) AMORTIZATIONIS; quâ præcipue eminet REX GALLIÆ; *Ægid. Magist. Dec. tr. de Amortizat. c. 1. seqq.* aliorumque illustrium Jurium fusius, & elegantissimè deductorum, & explicatorum à CASSANÆO *in Cat. Glor. Mund. P. 5. cons. 24.* REGN. SIXT. *de Regal.* HERM. VULT. *de feud. lib. I. c. 5. n. 6. verb. inter hæc autem. seqq.* ANDR. KNICH. *in Com. de Sax. non prov. Iur. & priv. c. 5. de Regal.* HENR. ROSENTH. *de Feu. C. 5. Concl. 19. seqq.* BOCER. *de Regal. c. 4.* STRUV. *S. I. F. c. 6. §. 13. seqq.* HARPR. *Cons. 14. n. 75. aliisque* Dd.

3. Quorum intuitu ea Autoritas Domini Eminentis aliàs vocatur summa Politica Potestas, die Ober-Herrlichkeit, sive die hohe Landes-Fürstl. Obrigkeit. KNICH. *in Syn. tr. de subl. & reg. terr. Jur. c. 1. per tot.*

Autoritatis Domini Emin. Synonymia.

§. XLVIII.

Ex hac Autoritate Domini Eminentis inter cæteras rectè hinc nectuntur Conclusiones: I. quod absque consensu Electoris, vel Principis, aut aliûs Statûs Imperii, Jura Episcopalia tenentis, speciali Prælatus inferior suam Ecclesiam, vel sibi subjectam alteri unire nequeat; *argt. c. sicut 8. X. de Excess. Prælat. ca. 16. qu. 1. c. plures. §. Ius ergo.* Uti nec Ecclesia, vel ædes sacræ citra permissum Domini Territorialis, & Patroni ædificari possint; *argt. cum olim 14. I. § insuper Ecclesias X de Privil. & Excess. Privileg. c. Autoritate 4. in pr. in 6to de privil.* NOV. 67.

Consectaria de Necessitate consensûs Domini Emin. in Unitione duarum Ecclesiarum

II quod insalutatò Dominò maris, *vel* non deducto VERO, aut artemone propugnaculum *vel* castrum ejus, *sive* naves ab illo Dominò ad tuendam proprietatem maritimam impositas non liceat prænavigare, nisi navis, contumaci, & plenâ velificatione progressa, tanquam Imperium, sive Autoritatem Domini maris contemnens, cum omnibus mercibus Fisco Domini cedere velit. CONRING. *de Domin. mar. th. 38. seqq.* STRAUCH. *de Dom. Mar. c. 6. 7.*

II in Maris permeatione circa castrum vel Naves Domini Maris.

III quod nec absque consensu Domini Territorii, ejusque speciali concessione

III. in aquæ ex flumine publico derivatione. & in ædificio fluminis vel ejus ripa imponendo. ne ex Flumine publico aquam profluentem in fundum privatum ducere, neque in eo, aut ejus ripâ, quatenus ad Regalia pertinet, ædificare, aut molendinum extruere permissum sit FELIN. SAND. *conf. 28. n. 13.* Quandoquidem illud flumen qua alveum, & aquam publici Juris est. Et ideo in eo ædificans non aliter, quàm in alienô solô, & consequenter non sibi, sed Domino fluminis ædificasse censendus est. *l. 1. & fin. D. de flumin. ne quid in flum.* ZIEGL. *lib. II. c. 15. § 32. 33. de Jur. Maj.* GUDELIN. *de Jur. Nov. lib. 5. c. 3. n. 5. seq.* PETR. MULLER. *diss. de Molend.* HARPR. *Resp. 68. n. 209. seqq.*

Exceptio I NISI in ipso actu, AUT post actum *Consensus* Superioris interveniat; VIVIUS *P. IV. Dec. 530. n. 13.*

II AUT quis molendinum in flumine habuit, quod vetustate, vel alio modo collapsum est. Illud enim nullius temporis præscriptione obstante reædificare potest; BORCHOLT. *in c. un. quæ sunt Regalia n. 34.*

Exceptionis Limitatio MODO reædificans à præscribente, *sive* judicialiter *sive* extrajudicialiter prohibitus ab ædificando non destitit per tempus ad præscriptionem legitimam sufficiens. BORCHOLT. *d. l. n. 37.*

IV in factione testam. in præjudicium Albinagii. IV. quod absque permissu Domini in præjudicium Juris Albinagii à peregrinatore Testamentum confectum, eô defunctô, nullum & invalidum sit; STRYCK. *de Success. ab intest. diss. I. c. 4. § 2. 3. & 30.*

V. in Metallis fodiendis rebusque similibus V. Quod absque concessione immediati Domini Territorii in fundo privato, sive suo, sive alieno metalla fodere, Berg- und Hutten-Werck bauen, nemini liceat, uti in Imperio ferè generali consuetudine receptum COTHM. *Vol. 4. conf. I. n. 110.* STRUV. *S. I. F. c. 6. aph. 26. n. 3.* AUTOR des getr. Rechnungs-Beamten *P. I. c. 8. p. 318. rubr.* Bergwerck. Quò certis in locis etiam Salinæ, Piscariæ, sive Pices fossiles, & lythantracum, uti & lapidum scissilium fodinæ referri solent. *II. F. 36.* BORCHOLT. *d. T. in c. quæ sunt reg. n. 45.* STRYCK. *de Jur. Princ. subter. n. 44.* quia Auri- & Argenti-fodinæ, uti & aluminis, & victrioli, sunt de publico Jure, & Superioribus Ditionis debentur. MYNS. *Dec. 4. Resp. 39. n. 4. 6.*

Exceptio I NISI investitus quis sit cum Regalibus: casu quo Domino Directo, aut Territorii debetur CANON METALLICUS; *argt. l. 3. l. 5. C. de Metal.* MYL. *ab EHR. d. tr. p. 2. c. 69.* MYNS. *d. Resp. 39. n. 7.*

Except. II AUT consuetudo, 30 annis præscripta, aliud dictaret. MYNS. *d. Resp. 39. n. 13. seqq.*

VI in ædificio Condomini. VI. quod Condominus absque consensu Condomini, & Universitatis in publico, & communi Territorio, sive prædio, quod eorum, & Universitatis est, ædificare nequeat BESOLD. *P. II. conf. 25.*

Exceptio. NISI utilitas publica, & rei natura aliud suadeat, & requirat. LYNCK. *Dec. 1024.*

SECTIO II.
DE AVTORITATE DOMINI DIRECTI.

§. XLIX.

Autoritas Domini Directi quid? **AUTORITATEM Domini Directi quod attinet, hæc in facultate superiori circa rei proprietatem competente consistit. Et sicuti in illa Autoritate, qui**

quà feudum, *radicatum est* Jus Domini tam in rem feudalem, quàm Vasallum ipsum, ex feudo obstrictum; posito enim AUTORE feudi, necessario ponitur Jus Domini: & qui Autor feudi esse nequit, nec Jus Domini habere potest: Ita illud cum feudo *perpetuum* est, & absque jacturâ beneficii violari, aut negari nequit. *ejusque præstantia*

2 Quippe ideo Dominus Directus in Jure Feudali frequenter, & κατ᾽ ἐξοχὴν absolutè DOMINUS *I. F. 3. § 1. I. F. 4. II. F. 4. II. F. 58.* & alibi passim: mox etiam SENIOR, videlicet ob dignitatem, & reverentiam ei debitam, & ideo quondam Germanis, sive Langobardis SIGNOR, seu SEGNOR. *II. F. 17. & 18 & 52.* nec non PATRONUS, uti hoc respectu Vasallus *Cliens;* HOTTOM. *de feud. passim; & in Disp. de feud. c. 3.* & INVESTITOR sive Autor Feudi Germ. der Lehn-Herr appellitatur, VULT. *de feud. lib. 1. c. 3. n. ult.* *Domini Directi Synonymia.*

§. L.

1 Ex quo manifestum est, quod ea Autoritas Domini se referat ad Vasallum, ut *inferiorem;* quæ proinde reciprocè ab hoc semper, lege, aut Judice supremo non vetante, respici debet. Quandoquidem hæc in Dominio Directo *sive* superiore fundatur, cujus vigore Domino feudi competit JURISDICTIO FEUDALIS, *exclusis Austregis.* *II. F. 5.* PEREGRIN. *in Tr. II. de Iudic. Mat. ad cap. X. cæterum de Ind. n. 1. 2. 9.* ROSENTH. *cap. 12. concl. 1. n. 27.* STRUV. *S. I. F. cap. ult. th. 5.* *Autoritatis Domini Dir. specialis Relatio ad Vasallum.*

2 Unde Dominus Vasallo semper reverentiâ major est, & dicitur, ROL. a VAL. *II. cons. 22. n. 32.* ROSENTH. *c. 12. concl. 8. n. 57.* ad quam reverentiam Vasallus Domino adeo tenetur, ut eum SINE VENIA in *jus non vocet.* PANCIROL. *Th. Var. lect.* I. *c. 90.* KIRCHOV, *var. Resp. T. V. cons. 17. n. 9. & 10.* Quia Vasallus, & Dominus sunt *Correlativa:* & proinde, uno posito, necessario sequitur & alterum. *l. fin.* D. *de acceptil.* NICOL. EVERH. *in loco à Correl. 20. n. 11.* *Ejus respectus à Vasallo sanctè habendus*

3 Et licet multis Dbus contrarium placeat, sentientes, longe aliam Vasalli, quam Liberti conditionem esse, uti allegat MYNS. C. 4. *Obs. 92.* Eam tamen veniæ petitionem pro diversitate causarum; Veluti si Actio à Vasallo intentata infamiam irrogaret, aut aliud præjudicium Domino inferret, non *tàm* civilitatis, *quàm* etiam necessitatis esse, magis cum aliis Dd. statuendum venit: *argt. c. 1 § si vero Vasallus de Milite Vasal. qui contum. est.* atque pro hac in Camera Imperiali decisum esse meminit GYLMAN. *tom. 3. Dec. Camer. voc. Vasallus n. 1.* quoniam Vasallo persona Domini semper honesta, & sancta esse debet.

4 NISI à Domino vis armata commissa sit in Vasallum; quo casu veniæ petitionem ex communi sententia cessare statuimus MOLIN. *in Consuet. Paris. tit. 1 § 1 gl. 4* MENOCH. *de recuper. poss. Rem. 1 n. 98 seqq.* *Exceptio*

§. LI.

1 Uti igitur Autoritas illa Domini *regulariter* requirit, *intuitu* VASALLI, ejus fidelitatem, reverentiam, & servitiorum honestorum, & licitorum præstationem, præcipue PERSONALEM, vel, ob impedimentum legitimum per *substitutum* congruam, Domino, iis, honoris, judicii, militiæ, vel auxilii ergo, opus habenti, in ejus vitæ, corporis, famæ, & bonorum incolumitate, & emolumento *Autoritas Domini Dir. Magnes omnis Vasallitica Obligationis; quæ est: I. Devotio;*

II *Servitium;* III *Fidelitas, extra Iudicium, & in Iudicio præstanda;* to tuendo, vel augendo, nec non periculo, & damno avertendo, debitam; *II. F. 2 5. 7. 20. 28. 54.* KOHL. *de servit. feud. lib. 4. n. 1. seqq* RATIONE REI, feudi conservationem :

2 Ita dehinc infallibiliter colligendum est, quod Vasallus contra Dominum nihil vel CRIMINIS *denunciatione*, aut *accusatione*, vel aliâ *actione & exceptione famosâ*, vel *testificatione*, quo ejus vitæ, famæ, aut bonis præjudicatur, CITRA FELONIAM intendere, vel facere possit. *argt. l. 10. § 12. D. de in Jus voc. l. 11. de dolo mal. II. F. 24. & 33. § similiter.* PANCIROL. *Th Var. lect. l. c. 90.* ROSENTH. *X. concl. 23. per tot.* quamvis etiam Vasallus crimen probaverit, uti ex Dyno, & eum secuto Curt. & Sonsbecio allegat GYLMAN. *Symph. III. Dec. Camer. voc. Vasallus n. 1. & 2.*

Exceptio I NISI in casibus exceptis, v. gr. in crimine *læsæ Majestatis*, *perduellionis* &c. à Domino in Principem, vel Rempubl. perpetrato. MATTH. AFFLICT. *in c. 1. §. item si Delator. n. 13. quæ fuit pri. ca. ben. amitt. ubi verbo, septimò;* Casum

II alium exceptum addit: Si accusatio Domini à Vasallo *suæ defensionis gratiâ* facta sit, quæ per viam defensionis LICITA. Veluti si Vasallus, impetitus à Domino, in eum crimina retorqueat: quo casu ei, si provocatus se voluit ulcisci, ignoscendum est per *l. qui cum major. 14, §. si libertus. 6. D. de bon. libert.* Baro SCHENCK. *in d. c. 1. § item si Delator. n. 3. II. F. 24.* conf. GYLMAN. *l. c. n. 2. seq.*

§. LII.

IV Domini captivi liberatio; 1 Ulterior inde conficitur Connexio, quod Vasallus ad lytrum, & liberationem Domini inclusi, sive captivi, si ejus bona, aut facultates non sufficiant, contribuere; *d. c. 1. § si delator. quæ fuit pri. ca. ben.* non obstante *c* LICET. *II F. 26.* quia diversa ratio perjurii, atque captivitatis est : KOHL. *de servit. feud. p. 4. n. 42. 43. 45. seqq.*

V *Egeni alimentatio feudo conformis;* 2 Nec non EGENO DOMINO alimenta ex reditibus feudi, quantum commodè fieri potest, loco servitiorum congruorum pro ratâ præbere teneatur JAS. *in præl. feu. n. 70.* SCHRAD. *in tr. feu. P 9. c. 8. n. 6. it. n. 12. 13. seq.* CAR. MOLIN. *in Consu. Par. tit. de Feud. § 30. n. 146.* FINCKELTH. *Disp. F. 9. th. 19.*

VI *Collecta pro maritanda filia Domini subsidium;* 3 Imo casu necessitatis, veluti pro maritandâ filiâ &c. illi Domino collectis opem ferre obstrictus sit NATTA *Conf. 114. n. 18.* MENOCH. *de Arbitr. Jud. lib. 2. Cent. 2. cas. 181.* PANCIR. *Th Var. lect. I. c. 90.* BOER. *Dec. 126. n. 1. 3.* ROSENTH. *C. 5. Concl. 77. n. 1. gl. a.* CARPZ. *lib 4. Resp. 71*

Exceptio I 4 NISI ex injustâ causâ, veluti prodigalitate, egeat. NATTA *conf. 380 n. 7.*

Except. II 5 NISI ipse Vasallus egeat, nec plus habeat, quo se alere possit: SCHRAD. *d. c. 8. n. 13. verb.* similiter.

§ LIII.

VII *Auxiliatus Domino injuste bellanti quatenus ex post læso* 1 Quibus eâdem rationis sequelâ accedit, quod Domino injustam foventi causam, ex post-factô tamen *læso*, Vasallus nihilominus defendendo succurrere ROSENTH. *c. 8. concl. 20. n. 4. seqq.*

2 atque ita Domino injustum quidem bellum gerenti, in periculo tamen vitæ,

vitæ, & territorii sui gravissimo versanti, etiam non interpellatus Vasallus auxilium præstare, ipsumque tueri obligatus sit: *II. F. 28.* KOHL. *p. 2. n. 48. l. c.*

3 Veruntamen in causa justâ promiscue Dominum Vasallus interpellatus propter datam fidem adversus quoscunque tam extraneos, quam consanguineos, & cognatos, *ipsi injuriam inferentes*, opitulari; *II. F. 7. & 55.* ROL. a VAL. *IV. Cons. 41. n. 3, cons. 48. n. 43.* PANCIROL. *Th. Var. lect. I. c. 90.* SCHRAD. *de Feud. p. 6. c. 6. n. 3.* KOHL. *l. c. n. 50.*

4 eaque servitia, & defensionem suis sumtibus præstare, & periculum, damnumque sibi, rebusque suis obveniens, perferre devinctus est: *arg. II. F. 23. § ult. & 52. & 55.* VASQV. *illustr. quæst. 1. cap. 6. n. 4.* BOER. *Dec. 303. n. 9.* SCHNEIDEW. *p. 5. n. 93. sequ. & n. 109. 111. seqq.* KLOCK. *I. Cons. 10. n. 524. 564. 565.* FINCK. *disp. Feud. IX. th. 9.* SCHROET. *d. Diss. d. Equ. Publ. M. I.*

aut in periculo vit. & bonorum existenti, justè verò bellanti contra quoscunque præstandus: & quidem propriis Vasalli sumtibus.

5 Nisi (1) ejus feudum levidense, & ad sumtus pro servitiis necessariis expendendos haud sufficiens, atque Vasallus aliàs opibus minùs firmus, sed pauper sit. ALVAROT. & PRÆPOS. *in c. 1. pr. de nova form. fidel.* ZASI. *de feud. p. 7. n. 44.*

Horum Limitatio I.

6 Nisi etiam (2) Dominus extra territorium bellum gerat, & quoad hunc casum consuetudine loci, ubi feudum situm, non aliud sit introductum, vel, pactô investituræ inserto, contrarium in servitiis extra territorium præstandis appareat SCHRAD. *de feud. P. 6. c. 6. n. 15.* SCHROET. *l. c. M. I. n. 52. seqq.*

II.

7 In Genere tamen exceptô Dominô Supremô, primô & antiquiore: Ejus enim Autoritas supereminens hac in re prævalet, tantaque est, ut Vasallus sibi Ligius sit, nec alteri Domino inferiori, aut Secundo contra Dominum Primum, sive antiquiorem præstare fidelitatem possit, vel debeat; quia Impossibile, duos Dominos ejusdem rei in solidum esse posse, ideoque Vasallus Ligius duorum Dominorum eodem modo quis esse nequeat. LAUD. *in c. 1. de his, qui feu. dar. possunt.* ROL. a VAL. *Vol. II. Cons. 44. n. 13. 14. 23.* HART. PISTOR. *l b 2. p. 2. qu. 47. n. 31. seqq.*

Excepto Domino primo & antiquiore

8 Id in Hunolpho, qui fidelissimus Regis Langobardorum Ariperti filio secundo, Parthari, existebat, Grimoaldus Rex Langobardorum agnovit, eumque ideo, quod posthabitâ fide, quam sibi debebat, Partharim extremo vitæ periculo, arte adhibitâ, fideliter eripuisset, reum læsæ Majestatis damnatum, redditâ salute, absolvit. Quod citra dubium vigore, & intuitu Legis, sive EDICTI ROTARICI, quo de fidelitate, primo Domino devinctâ, cautum fuerit, factum credibile est. Cum ex hac Obligatione Hunolphum, devotas gratias præferentem, maximè suam defensionem verbis; Ego, ait, Tibi (Regi) Vitam debeo; quam cum posses auferre, donasti: Sed fides *prima* obstricta est Parthari, cum quo malim exulare, quam fidem violare; deprompsisse, eôque indignatum Regem conciliasse sibi propitium videatur CRANTZ. *in Chron. Dan, lib. 3. c. 26.*

illustratio ab exemplo

§. LIV.

1. Porro hujus Autoritatis Domini Directi Relatiuus nexus est, quod, Domino, vel Vasallo mutato, feudi Investituram, sive ejus Renovationem Vasalli, licet etiam fœminæ ex *pacto*, VEL *consuetudine*

VIII investitura solennis Renovatio & Susceptio

citra feloniam non negligenda;

ſucceſſores ſint, nec non Agnati, aut ſimultaneè Inveſtiti intra tempus *fatale*, nimirum annum & diem, de Jure Saxonico intra annum & ſex ſeptimanas, ſub pœna amiſſionis, ſive privationis à Domino ſubmiſsè, & decenter petere, & termino actui præfixo ſe, *vel* in perſonâ, *vel*, impedimento ritè excuſato, per ſpecialiter con- aut ſubſtitutum Agentem, ſive Procuratorem, ſiſtere, & fidelitatis Juramento præſtito, cæteriſque paribus Inveſtituram ſolenniter renovatam ſuscipere debeant; *II. F. 24. 32. & 40.* ROL. a VAL. *I. Conſ. 18. n. 6. 9. ſeqq.* GAIL. *P. III. Conſ. 30. n. 3.* ROSENTH. *c. VI. concl. 29.* BERLICH. *II. Concl. 53.* PFEIL. *Conſ. 64.*

Exceptio α) in feudo Regali circa Imperii vacantiam aperto;

2 NISI (a) ſede Imperatoriâ vacante inveſtitura feudi Regalis celebranda. Ejus enim collatio, *vel* Renovatio IMPERATORI, vel Regi Romano Electo unicè reſervata eſt, *excluſis Vicariis Imperii*; AUR. BUL. CAROL. *Imp. Tit. 5. Capitul.* FERDIN. II.

β) in conſuetudine contraria;

3 *aut* NISI (b) uſu Neſtoreo, & conſuetudine Provinciæ, *vel* loci, *vel* Curiæ, *vel* in individuo hujus, *vel* illius feudi generali, aut ſpeciali, aliud obtineat. VULT. *l. c. 7. n. 99. ſeqq. de feud.*

γ) in Pacto ſpeciali;

4 *aut* (c) pacto Inveſtituræ *ſpecialiter* adjecto illa Renovatio Inveſtituræ ad certum gradum, *vel* omninò à Domino remiſſa ſit; KNICH. *de pact. veſtit. P. 3. c. 4. n. 79.* CARPZ. *lib. 7. Reſp. 78. & 79.*

δ) in Domini Infantia intutâ;

5 *aut* (d) Dominus infans adhuc exiſtat, nullo tutore munitus, LAUR. SYLV. *de feud. recogn. qu. 56. 57.* ROL. a VAL. *II. Conſ. 64. n. 26.*

ε) in morte Domini interventâ;

6 *aut* (e) Dominus intra præfinitum, & nondum elapſum fatale mortalitate interceptus ſit; ROSENTH. *c. 6. concl. 45. & 46. de Feud.*

ζ) in Dominio Dir. litigioſo;

7 *aut* (f) inter duos de Dominio directo litigantes, nullo tamen poſſidente, adhuc lis ſit; SONSBEC. *de feud. p. II. n. 22. verb. fallit quinto.*

η) in hæreditate jacente;

8) *aut* (g) hæreditas à Domino nondum adita ſit; ROSENTHAL. *c. 6. concl. 48.*

θ) in remiſſione culpæ.

9 *aut* (h) elapſo fatali culpam negligenti Vaſallo, vel expreſsè, vel tacitè, cum inveſtiendo, aut ejus ſervitia admittendo, ſcienter remittat Dominus; SCHRAD. *d. tr. p. 6. c. 2. n. 78. 79.* CARPZ. *lib. 6. Reſp. 84. n. 8. 9.*

ι) in Impedimento vel ignorantia legali;

10 *aut* (i) aliud legitimum & probabile impedimentum v. gr. *peſtis, belli, inimicitiæ, morbi ſontici, loci non tuti, aliorumve &c.* Vaſallo ſucceſſori obvenerit, SIVE etiam juſta ignorantia feudi ſibi delati, vel aperti intervenerit: *I. F. 22. II. F. 52. & 92.* FELIN. *Conſ. 32. n. 16. 17.* GAIL. *II Obſ. 48. n. 8.* CARPZ. *in Jpr. for. p. 2. C. 45. d. 20.* PFEIL. *conſ. 65. J. P. O. Art. 4. §. 5. J. P. M. §. 39.* Hôc enim in caſu moræ purgationem Vaſallo ſubvenire, cum pleriſque Dd quoque tenet STRYCK. *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. 12. c. 5. §. 18.*

hujus limitatio

11 Sed ceſſante impedimento, nec intra annum, & diem poſthinc petitâ Inveſtiturâ Vaſallus, uti & Minor, factus Major, intra fatale Inveſtituræ Jura implorare negligens, feudo omnino privatur ROL. a VAL. *Vol. I. Conſ. 18. n. 20. 21.*

12 *aut*

12 *aut* (k) feudum non magni momenti, rusticum, *vel*, exiguum sit; quo casu negligens Vasallus non privatione feudi, *sed* tantùm arbitrariâ mulctâ afsici solet. RICHT. *Dec. 84. n. 7. P. II. add.* VULT. *d, tr. lib. I. c. 11. n 24.* Modica enim semper videntur excepta. Proinde in his Feudatarius ad fidelitatis Juramentum præstandum non adeo curatiùs adstringitur, aut Domino strictè obligatur. ROL. a VAL. *III. Conf. I. n. 101. seqq.*

k) in feudo levidensi.

§. LV.

1 Facit insuper etiam Autoritas Domini, quod NON SOLUM feudô licitè, & plenè alienatô pro receptione, & investiturâ novi Vasalli Domino TERTIARIA, vel QUARTARIA, aliàs *aurea Penna*, & *Relevium* dictum, sive LAUDEMIUM (non quidem Jure Feudali communi, sed Jure Civili, & Moribus *tam* Germaniæ in quibusdam Provinciis, & locis, quàm aliarum Terrarum, & Regionum introductum) in recognitionem Dominii Directi, ab Emtore, Donatario, & ab utroque Permutante, alioque extraneo, in quem Dominium Utile rei Feudalis, vel Emphyteuticæ transfertur, solvendum sit; FULGIN. *de Jur. Emphyt. tit. de Laud. qu. 6. & aliis quæst. seqq.* HARTM. PIST. *I. qu. 50. n. 61. 62.* FRANTZK. *de Laud. c. 4. n. 14. 15.* RICHT. *II. Dec. 83. n. 30. & per tot.* BARO de LYNCK. *Ref. 374.*

Laudemii certi à Feudi acquirente solutio consueta.

2 quod & in Electoratu Saxoniæ, quoad pecuniam rei permutatæ additam, observari testatur; CARPZ. *Jpr, F. p. 2. C. 39. d. 15.* MARTIN. *ad Proc. tit. 39. §. 12. n. 28. seqq.*

3 ac præterea ad illud laudemium ea quoque Hæredum persona, cui ex reliquis Prædium certô ejus pretiô constitutô, in divisione obvenerit, detractâ portione ipsi debitâ, Domino obligetur: quia isti hæredi quoad excessum, sive reliquam prædii partem majorem, vel æqualem per Divisionem, instar Emtionis-Venditionis, in illum translatam verè novum dominium acquiritur, & respectu hujus ideo instar Emtoris est; COLER. *Dec. 33. n. 5. 11. 12. seqq. & 35.* STRUV. *Dec. Sabb. 42. c. 10.* BARO de LYNCK. *Dec. 21. & cit. Ref. 374.*

quatenus circa permutationem in Sax. Elect. recepta; ab Hærede quoque quâ emptam Prædii partem;

4 SED ETIAM, juxta specialem quarundam Regionum, Curiarum, & locorum usum, quotiescunque feudi manus mutata, ea præstatio Laudemii *tam* casu mutati Domini, *quàm* feudi, mortuo Vasallo per successionem ab intestato, *sive* ad Liberos, *sive* ad Agnatos, *vel* Coinvestitos devoluti, perficienda sit SIGISM. LOFFRD. *Conf. 15. n. 14. 15.* CARPZ. *lib. I. Resp. 88. n. 21. & 29.* RICHT. *Dec. 83. n. 121. seqq. & n. 136.* BARO de LYNCK. *Ref. 47.* LEYSER. *Spec. ad D. 104. med. 3.*

& pro more quatenus feudi manus mutatur;

5 Imo DUPLEX *tam* ex Emtione priori consummata, & rursus dissolutâ, *quàm* ex posteriori perfectâ exsolvi debeat Relevium. Quot enim alienationes feudi celebratæ; tot etiam debentur laudemia, secuta utrinque contractûs denunciatione, & feudi resignatione; HARTM. PISTOR. *I. qu. 50. n. 13. 17.* BARO DE LYNCK. *Resol. 203.*

atque certo casu dupliciter præstanda.

6 Et hoc Duplex novo Emptore locum prioris realiter subintrante; si antea prior, facta rei emtæ venditæ resignatione, ejus possessionem traditam jam apprehenderit, Domino ideo quoque debeatur; LYNCK. *Dec. 92. in pr. & Dec. 1382.*

§. LVI.

Exceptio I. in pacto definitæ Pœnitentiæ adjecto:

I NISI (1) stipulatio pœnalis, *vel* pactum pœnitentiæ definitæ Contractui adjectum sit. Emtor enim reservata sibi pœnitendi facultate sub conditione contrahere videtur, nimirum *nisi pœnituerit.* Casu quô, licet pœnam conventionalem, vulgò Reu-Kauff; Emtor post perfectum contractum Venditori solvat, Domino tamen durante conditione, nec facta feudi resignatione, & Investituræ petitione ad præstandum laudemium non tenetur; STRUV. *c. 10. Dec. Sabb. 36.* BARO DE LYNCK. *Dec. 1390. & Resol. 133.*

II. in Pacto Retrovenditionis.

2 *aut* (2) sub pacto *retrovenditionis* contractus celebratus fuerit. Ea enim retrovenditione legitimè facta nullum laudemium iterum Domino persolvendum esse veriorem affirmando sectamur sententiam cum CARPZ. *lib. 1. Resp. 89. n. 4.* STRUV. *c. 16. Dec. Sabb. 31.* LYNCK. *Dec. 311.* STRYCK. *Us. Mod. Pand. tit. de Contr. Empt. §. 65.* MARTIN. *in Ord. Proc. Sax. tit. 39. §. 13. n. 83. 84.*

§. LVII.

Laudemium Feudo sub Hasta emto etiam præstandum.

Re feudali, sive Emphyteutica sub HASTA empta vendita ad ipsum etiam laudemium *Emptorem* Domino obstrictum fieri recte colligitur ex eo, quod Subhastatio, vera venditio, & hæc ipsa respectu Debitoris, ex cujus anteriori, & libera feudi oppignoratione, a qua posterior Subhastationis eventus dependet, juxta rationis identitatem *voluntaria* quoque dijudicanda veniat. Eô enim casu Vasallus *sive* debitor consentire lege fingitur, & factum Judicis factum partis putatur: cum in vicem justæ Obligationis succedit ex causa Contractûs Autoritas jubentis; *l. si ob causam 13. ubi* BARTOL. *& alii. C. de Evict. l. 1. C. in caus. Jud. pign. capt. sit. & ibi* BART. & BALD. ROSENTH. *IX. Concl. 16. n. 14. 16.* CARPZ *P. 2. C. 39. D. 17.* RICHT. *Dec. 83. n. 59. 60.* PHILIP. *de Subhast. C. 4. Com. 8.*

§. LVIII.

Jura & Actiones pro Laudemio ejusque prioritate Domino competentes.

Atque hinc Domino ratione exigendi laudemii non *tam* CONDICTIO ex Moribus, *vel* potius Actio ex FEUDO, *quàm* JUS TACITÆ hypothecæ, & Prælationis in Concursu Creditorum vi Dominii Directi, prævalentis alios Creditores, potiori Jure non gaudentes, competat, eò veriùs asseritur, quò magis manifestum est, quod Laudemium pro re Feudali, ejusque Investitura fiat, consequenter *debitum Reale*, sive rei feudali inhærens sit, & exinde ACTIO REALIS necessariò nascatur. Et licet dicatur; quod illud detur pro receptione Vasalli, ea tamen ratio, eo minus firma, & adæquata videtur, quo magis ei contraria, & verior obstat, quod Vasallus non præcisè ratione personæ, sed magis respectu Rei Feudalis à Domino recipiatur, & investiatur; FRANTZK. *de Laud. C. 16. n. 123.* RICHT. *de Priv. Cred. Class. c. II. Membr. 5. n. 11.* ZIEGL. *ad Proc. Sax.*

Sax. tit. 42. verb. Und dergleichen. MARTIN. *ad d. Pr. Sax d. tit. 42. §. 7. n. 73. usque 78.* RIVIN. *in Enunc. Jur. tit. 45. Ex. 2.* Quamvis contrarium autumant. BARTH. *in Hodeg for. in App. ad c. 3. p 846.* SURD. *Dec. 31. n. 16.* DN. DE BERGER. *P. I. Suppl. ad Elect. Disc. for. tit. 42. p. 501. & p. 2. tit. 42. p. 889.* WERNH. *P. I. Obs. 328.*

§. LIX.

Illud autem LAVDEMIVM ex dispositione Juris Civilis *quinquagesimam* partem pretii, & Usu Germaniæ ferè communiter QVINIONEM, aliquando etiam *denos in centenos* designans, secundum modernam, & præsentem, non verò præteritam, sive antiquam prædii æstimationem præstandum est. FRANTZ. de *Laud. c. 23. n 37. 38.* CARPZ. *I. Resp. 90.* HORN. *d. 16. Resp. 19. n. 2.* DN. DE BERG. *in Oecon. Jur. lib. 3. tit 5. th. 28. not 10.* LEYSER. *Spec. ad D 104. Med 7.* *Laudemium ad modernum Feudi valorem conformandum.*

NISI aliud moris, & juris esse ceperit. Constat enim jus exigendi Laudemii effluxu temporis longissimi, quo intereà occasio, illud Laudemium requirendi ostentata, nihilominus à Domino dimissa fuerit, præscriptioni obnoxium esse. PETR. TORNOV. *de Feud. Meckl. P. I. c. 2. Sect. 3. §. 14. p. m. 277.* *Exceptio*

§. LX.

Germinat prætereà ex illo Autoritatis Dominicæ stemmate, quod absque consensu Domini Princeps Imperii, aut alius Vasallus feudum, quod possidet, alteri *offerre nequeat*, ut in posterum pro SVBVASALLO habeatur, quamvis oblationi à Vasallo factæ clausula sit inserta: *salvo omni jure & interesse prioris Domini.* Quoniam *Oblatio* est species alienationis, & eà Domino Directo ideo præjudicatur, quod intercedente Oblatione *novum* quis sibi Dominum imponit, cui peculiari nexu postideà devinctus esse debet. HERT. *Diss. de feud. Obl. th. 15.* THOMAS. *de feud. Obl. c. 2. § 13. seqq.* *Feudi Oblatio extranea Vasallo interdicta.*

§. LXI.

Intuitu autem Autoritatis, quam Dominus Directus, veluti IMPERATOR in feudo *oblato* nanciscitur, Vasallum Imperii, territorium suum ALLODIALE feudo oblato connexum, sive in Imperio situm, Regi aut Reipubl. extraneæ sine CONSENSV Imperatoris, & Statuum Imperii in feudum offerre non posse consentaneum est. Quod etiam tuetur STRYCK. *de Jur. allod. Princ. Imp. c. 5. n. 53.* conf. FELIN. *in c. Dilecti ad verb. Hominibus invitis. n. 1. X. de Maj. & Obed.* *Allodii Feudo connexi Oblatio extra Imperium illicita.*

§. LXII.

1 Cæterum ista AVTORITAS Domini Directi eà non minus pollet efficaciâ, quod ETIAMSI PROPRIA AVTORITATE quis rem *suam*, vel *alienam* occupare, & jus sibi dicere non liceat: *per l. nulli. 10. C. de Judic. l. un. C. ne quis in suâ causa. l. extat. 13. D. quod met. causa. L. Julianus 17. D. de Judic.* ALEX. *Cons 135. lib. 1.* SOCIN. *Reg. 33.* BOER. *Cons 13. n. 15.* *Qu. an Dominus feudo aperto illud occupare queat*

2 siquidem *autoritate propriâ occupans* possessionem *rei suæ*, illam statim restituere tenetur, dominiumque dictæ rei perdit; occupans vero possessionem *Domini Directi*

re

disparitas ab Occupante Civili: *rei alienæ*, æstimationem rei unà cum ipsa Re restituere fit obnoxius: per notabilem *L. si quis in tantam C. unde vi.* MENOCH. *de recup. poss. Rem. 9. per tot.* GABR. *de acqu. vel am. poss lib. V. Concl. I.*

à Creditore: 3 Et eidem ratione *Creditor*, qui Autoritate propriâ rem, seu pecuniam sibi debitam occupat, Jus Crediti amittit; *L. extat. D. quod Met. caus. L. Creditores 7. D. ad L. Jul. de Vi priv.*

à Legatario. Sicuti & *Legatarius* rem sibi legatam autoritate propriâ occupans, eam perdit, & à Jure suo cadit.

Qu. affirmatio 4 DOMINVS TAMEN DIRECTVS propriâ Autoritate finitô per mortem Feudatarii feudô, illud capere, GABR. *lib. 5. de acqu. & amit. poss. Concl. I. n. 106. & n. 109.* SCHRAD. *de Feud. P. 2. p. 9. Sect. 8. qu. 26. n. 47.* KLOCK. *T. I. Cons. 8. n. 14. 15. sequ.*

ampliatio 5 nec non Vasallum, si notoriè *rebellis* sit, *aut* eum in feudo Jus manifestò non habere constet, feudo licitè spoliare, & propriâ manu ejicere posfit. AFFLICT. *in Comm. ad Const. Neap. lib. I. rubr. 24. de viol. circ. poss. n. 11.* MENOCH. *de recup. poss. Rem. 9. n. 245.*

comparatio ab Emphyteusi commisfâ. 6 Sicuti illâ propriâ autoritate Dominus Directus possessionem rei Emphyteuticæ, quæ ob non solutum Canonem jam caduca facta fuit, si ea res Emphyteutica penes Tertium Possessorem, Non-Emphyteutam, reperiatur ingredi; Sec. *Gl. in c. potuit, verb. expelli. vers. sed si alii X.* de LOC. COND. MYNS. *Dec. 13. Resp. 5. n. 28.* FARINAC. *Op. Crim P. VII. qu. 75. n. 37.*

altera ampliatio in occupatione armata; 7 atque eâ ratione promiscuè tam in *Emphyteutico*, quàm *Feudali* Prædio occupando Ostia occlusa impunè aperire, & vim vi repellere; ROSENTH. *Cap. X. Concl. 41. n. 46. 47.*

Mediata. 8 præterea etiam idem Jus, & facultatem, *propriâ Autoritate* ejiciendi de Feudo *vel* Emphyteusi aliis cedere, aut per alios videlicet *Amicos, Vicinos, familiares, & Domesticos* expedire valeat: SCHRAD. *de Feud. P. 9. P. 2. sect. 9. n. 20. sequ.* MAXIME si Dominus *Jurisdictionem* simul habeat, MYNS. *d. Dec. 13. Resp. 5. n. 29.*

SECTIO III.

DE

AVTORITATE DOMINI UTILIS

ET IN SPECIE VASALLI.

§. LXIII.

Autoritatis Domini Utilis PRolabimur tandem ad DOMINVM UTILEM, cui sua quoque singularis Autoritas est; SVBALTERNA tamen, & *inferior* Domino Eminente, & Directo,

Quidditas Hujus AVTORITATIS essentia nititur in respectu ad Dominum Directum

rectum, atque legitimâ, eâque perpetuâ Poteſtate liberâ diſponendi de Rei utilitate, & quatantenus, certôque modô ejus participatâ, & reſtrictâ Proprietate; à quâ ideo DOMINIUM UTILE dependet. Hoc enim fundatur in Autoritate Domini COMMUNICATA. Si enim non eſſet Autoritas communicata, Dominium Utile non extaret. ROL. a VALL. *II. Conſ. 78. n. 8.*

Dominii Utilis dependentia.

§. LXIV.

1 Equidem hæc Domini Utilis Autoritas Emphyteutæ, & Superficiario, veruntamen Vaſallo *ſpeciali*, & *præſtantiori* Gradu ineſt. VASALLVS enim eſt, qui à Domino de Feudo inveſtitus, ipſique fidelitatem jurans non ſolùm Jus Dominii Utilis, ſed & *Jus Vaſalli*, & *dignitatem*, ſive honorem cum feudo acquirit, Dominumque ideò pace, & bello in caſu neceſſitatis, Reverentiæ, ſervitii, Conſilii, & auxilii comitatur, & ab Illo pari intuitu defenditur.

Autoritas Vaſalli major reliquis in ſuo genere. Vaſalli definitio.

2 Unde VASSI ii propriè dicti, qui ab Imperatore Feudum *Regale* acceperunt; & ab his ὑποχοριστικῶς diminutivo nomine appellati VASALLI ex illâ Obligatione FIDELES; ALVAR. *col. 8. in pr. vers. quaro ſeptimò, in Prælud. Feud.* KIRCHOV. *Var. Reſp. T. III. C. 24 n. 21.* BENEFICIATI, INFEUDATI, FEUDATARII; HOTM. *Diſp. Feud. c. 3. & de Verb. Feud. Voce Vaſſus, & Vaſal.* It. EXERCITALES; HOTM. *de diſput. Feud. c. 4. lit. B.* Similiter MILITES; *c. 1. §. firmiter. II. F. 58.* Nec non CLIENTES FIDUCIARII; KNICH. *de ſubl. & Reg. Terr. Jur. cap. I. n 194.*; CLIENTULI; & SERVITORES; *c. 1. vers. etſi Clientulus de alien. Feudi* ROL. A VALLE *T. IV. Conſ. 85. n. 33 34. 35.* audiunt. Vid. FRECC. *de Aut. Baron. lib. I. §. fuit dubitatum n. 3. fol. 37.* GRATI. *Reſp. 9. n. 129. lib. 1.*

Diſtinctio Vaſſi & Vaſalli. Synonymia.

3 Et Vaſalli IMPERATORIS, & Principis digniores habentur aliis. BOER. *in Tr. de Aut. Magn. Conſ. & Parlam. Gall. n. 17.* & ideo ILLUSTRES prædicantur; BOER. *l. c.* nec non FLOS, & ROBUR Imperii, itidem & Provinciarum exiſtimantur: utputa, qui magnifico *Jure* SCUTI gaudent. HOTM. *Diſput. Feud. c. 5.*

Vaſallorum prærogativa. Privilegium Scuti.

§. LXV.

1 Quemadmodum autem hæc Autoritas Domini Utilis naſcitur ex *Inveſtituræ* proprietate, quæ Contractum ultro, citroque Obligatorium, traditionemque complectitur CLAR. *lib. 4. queſt. recept. §. feudum. Qu. 59. n. 1,*

Autoritatis Domini Utilis

2 Ita ex hoc eſt, quod illa Autoritas in *Genere* involvat Facultates Domino Utili competentes. Quæ in *ſpeciali* Vaſalli conſideratione *tam* in plenario Uſufructu, *quàm* etiam in Reſtrictione Proprietatis, & Domini Directi, Poſſeſſione, & Diſpoſitione Rei Feudalis verſatur. Unde Vaſallus dicitur *Utilis Dominus Feudi.* MENOCH. de *Recup. Poſſeſſ. Rem. I. n. 91. 92.*

Radix & complexus facultatum; in ſpecie Vaſallo competentium.

§. LXVI.

1 Quanquam autem libera Diſpoſitio, ſeu Facultas Moralis Re pleniſſime utendi fruendi, & de illa pro arbitrio diſponendi Vaſallo in Feudo competens, quoad LICITA intelligenda eſt;

Facultas Vaſalli libera de

feudo disponendi: quà certos casus limitata; 2 Equidem Dominus in Genere est Moderator, & Arbiter Rei suæ; *l. 21. C. Mand.* quod Juris Axioma ad *Dominum Utilem* etiam applicari potest, & debet: *argt. c. Rei autem. II. F. 8. de Invest. de re al.* Verum in *hoc* restrictè accipiendum est; Quia Dominus Utilis non *Plenum*, SED *Minus-Plenum* & ab alio dependens habet Dominium; Ideoque ejus Exercitium ita moderandum, ne ea, quæ Legis Autoritate, & pacto prohibentur, excedat, neve, hoc ipso, *Dominio Directo, Reipubl.* aut *Tertio*, qui Jus Superius, & quæsitum in illa re habent, injuria, aut damnum inferatur: *argt. pr. Inst. Quib. alien. licet vel non.* MIND. *lib. 2. c. 41. de Mand,*

quà reliquos plenissima intelligenda. 3 Attamen hæc Limitatio, seu Restrictio certos tantùm casus involvit, qui Domini Directi honorem, & fidelitatis nexum, atque Feudi conservationem, imo ipsius Vasalli quoque, ejusve Familiæ emolumentum, & Autoritatem spectant. Veluti de his in superioribus Cap. I. fusè egimus; Quoad cæteros verò Autoritatem Domini Utilis non alterat, sed libera disponendi potestas est, & manet Domino Utili.

§. LXVII.

Autoritas Vasalli involvit α) Dominium Ususfructûs 1 Unde plenissimo Jure, & pro suo libero Arbitrio Vasallus disponit de USUFRUCTU *Feudi.* Siquidem omnium fructuum, ex Feudo perceptorum, pleno Jure fit DOMINUS. Ideo ut, ære ex illis redacto, *servitia* eo faciliùs, & meliùs exequi, & sustineri possit. CURT. *Jun. de Feud. P. 4. n. 106. seqq.* MYNS. *Cent. V. Obs. 36. circ. fin. & Dec. XII. Resp. 10. n. 13.* HARTM. HARTM. *de Feud. Obs. 40.*

β) Lucrum incrementorum; 2 Quod Autoritatis Jus immediatè profert facultatem lucrandi Incrementum Feudi absque Oneris Vasallitici augmento; *sive* illud *latens* sive *apparens*, sive alicui rei feudali *junctum*, *sive* nonjunctum sit, modo in Feudali Territorio accedat, & possessionem non-juncti Incrementi Vasallus *statim*, & *prius* apprehendat: *§. si quis de Manso. II. F. IV. & ibi Præpos.* LAVD. *in c. I. §. rursus. n. 18. Si de Invest. Feud.* MYNS. *Dec. IV. Resp. 39. n. 3.* P. HEIG. *II. qu. 40. pass. & n. 129. seqq.* P. MULLER. *in Diss. de Increm. Præd. Feud.*

γ) Exclusionem augendi servitii; 3 De quo sicuti Dominum initio simplicis Investituræ cogitasse hæsitandum non est: ROSENTH. *cap. X. concl. 44.* Ita, Feudô licet accessione, *vel* naturaliter, *vel* facto Vasalli, sive Domini, auctô, huic Vasallo tamen *servitia* in eâdem, absque Prædii Feudalis limitatione, & accessionis reservatione, factâ Investiturâ determinata haudquaquam *augenda* sunt. SCHRAD. *de Feud. P. 5. c. VI. n. 26. 27. seqq.* FINCKELTH. *Disp. Feud. 9. th. 20.*

hujus Ratio à contrario: 4 Cum ob decrementum feudi casuale, vel facto Vasalli ingestum Servitia definita non diminuantur. KOHL. *de Servit. feud. P. 4. p. 201.*

Ejus limitatio. 5 Nisi damnum Feudi Majus, & considerabile, aut factô Domini conflatum sit. Eô enim pacto tam definita, quam indefinita servitia, æquitate poscente, moderanda sunt. MYNS. *Dec. 13. Resp. 2. n. 165.* Conf. ROSENTH. *c. X. d. Concl. 44. n. 49. 50. seqq.* Quoniam rationis naturalis est, Vasallum rem feudalem non possidentem eâ præstatione non teneri, quæ aliàs de natura Feudi requiruntur. GVID. PAP. *Dec. 165.* SCHNEID. *de Feud. P. 6. c. 6. n. 33.*

§. LXVIII

§. LXIIX.

1 Quo minùs ergò res dubia est, quod illud Dominium Utile, in se & præcisè spectatum, NATURALEM possessionem à Domino traditam, Vasalloque in Feudo competentem, & quidem *tam* veram in corporalibus, *quàm* Quasi in incorporalibus Rebus comprehendat. ROSENTH. *de Feud. c.* VIII. *concl.* I. *Jurium, n. 9. 10. 11.*

2 Eò magis evidens, certumque habetur, quod Vasallus in ea possessione vel quasi Jurium, veluti Jurisdictionis, aliorumque, tanquam rerum feudalium sibi concessarum LIBERUM habeat EXERCITIUM, actusque citra consensum, vel consilium Alterius exercitare, nec in ea directè, vel indirectè impediri, aut turbari possit, & debeat. *per text. c. 2. ad fin. in verb.* LIBERE. *de Arbitr. in 6to. l. vim facit. D. de Vi & Vi arm.* FRANC. DE ARETIN. *Conf. 66. inc. Diligenter visis.*

§) possessionem feudi talem ejusque liberè exercendam;

§. LXIX.

Ex quo consequitur, quod Dominus Directus, sive Superior de *primis causis* Subditorum vel Rusticorum alicujus Vasalli cognoscere, vel actum Jurisdictionis, Vasallo competentem, exercere nequeat: sed manum apponens ad rem subjectam Domino Inferiori, potius turbare, & vim ei inferre censendus sit. Quoniam Autoritate licet *proximâ*, & *Remotâ* concurrente, PROXIMA tamen magis, quàm Remota attendenda est. Cum causa Immediata, tanquam potior, semper plus valet, & naturaliter *prior*, quàm Mediata, in actum influere, eique ideo *Remota* cedere debeat. NATTA *Conf. 119. n. 2.* CURT. *Jun. Conf. II. n. 2.* ROL. A VAL. *II. Conf. 78. n. 2. 3.* SCHRAD. *F. 10. Sect. 4. n. 78. 79. usque 83.* DN. I. H. DE BERGER. *II. Resp. 20.*

2 NISI in casum defectûs Justitiæ inferioris administrandæ; *c. Pastoralis X. de Off. Jud. Ord. c. Romana. 1 Eod. in 6to.*

•) Exortium Domini Directi ab exercitio Juridictionis Feudo adhærentis;

Exceptio.

§. LXX.

Atque hac eàdem ratione APPELLATIO à sententia Judicum, à Domino Jurisdictionis Utili Deputatorum interposita, non Domino Directo, & Superiori, sed Vasallo, licet Domino Inferiori, devolvitur. Quia Jus dicentes Deputati non habent idem Tribunal cùm Domino deputante, verùm potiùs meri *Judices subalterni* censentur, adeoque Domino deleganti, respectu Regalium sibi concessorum, absque contradictione competere debet COGNOSCENDI POTESTAS: MENOCH. *de recup. Poss. Rem. I. n. 91.* CURT. *Jun. Conf. II. n. 6.* NATTA. *T. I. Conf. 98. n. 21.* Sicuti & facultas Tutorem pupillo dandi. ROL. A VALLE *II. Conf. 78. n. 6.*

ζ) Cognitionem Appellationis à sententiâ suorum Deputatorum interposita.

§. LXXI.

1 Firmat quoque dicta Conclusio Autoritatem Domini Utilis in eo, quod Vasallus, licet Dominum accusare ei aliàs sub *pœna privationis* non permissum sit, à Domino tamen in possessione Feudi *turbatus* adversus illum Interdicto, UTI POSSIDETIS; aut *violenter* spoliatus contra eum Interdicto, UNDE VI, Jure experiri; BORCHOLT. *in Comm. in Us. feud. c. 9. n.* 17. 18. GYLMAN. *Symphor. T. 3. Dec. Cam. voc. Vasallus. n. 3.* CARPZOV. *II. Const.* 7. *Def.* 12.

η) Remedia Juris Vasallo à Domino turbato, vel spoliato contra ipsum competentia;

Limitatio I.

2 MODO felonia Domini notoria, evidens, & aperta sit; MYNS. *Dec.* XI. *Resp. 7. n. 16.*

3 Imo Dominum, si ab ipso, præviis adhibitis mediis, & gradibus, aliter SVVM consequi non valeat, impunè deprædare possit; *text. c. 1. §. si vero Vasallus. de Mil. Vasallo qui contr.* MYNS. *Cent. 4. O. 91. & Dec.* XI. *Resp. 7. n. 24. seqq.*

4 Vasallus etiam à Domino vi armatâ molestatus adversus eum absque veniæ petitione ad pœnam *Banni* agere, GAIL. *lib. 2. cap.* XI. *n.* 12. & *c.* XV. *n. 16. de Pace pub.*

5 *Vel* statim ei resistere queat. Cum enim Dominus facinoris Reus sit, nec habet Vasallum, ut Vasallum, Vasallus non compellitur Dominum habere, ut Dominum: Et proinde Vasallo licitum est, non tantùm pro securitate personæ, sed & defensione rerum suarum Domino, injustè, & de facto procedenti, obviare, & resistere. ALB. BRUNUS *Conf.* 114. *n. 406. 408. seqq.* BORCHOLT. *d. Tr. de Feud. c. 9 n. 19.*

Limitatio II.

6. MODO absque dolo, injuriâ, & læsione Domini corporali id fiat: CLAUD. DE SEYSEL. *in l. ut vim D. de J. & J. n. 24.*

7 IMO, si Dominus vi armatâ eum infestare iterando continuet, fidem fucillare, & vim vi repellere; tametsi læsio corporalis, & offensio Domino eveniret. SCHRAD. *de Feud. Part. 9. cap. 4. n. 61. 63. 64. 66.* MYNS. *Dec. XI. Resp. I. n. 58.*

§. LXXII.

Cautela in Remediis Extraordinariis contra Domini infestationem adhibenda. Respectus Judiciorum feudalium habendus.

1 Hæc tamen cum temperamento, & grano salis accipienda sunt, ne cum licentiâ fiamus deteriores. Etenim *Extraordinariis* ejusmodi parce, & cautius utendum Remediis, quo minus excedatur, nec defensione immoderatâ gravius incurratur feloniæ discrimen MYNS. *Dec.* XI. *Conf. 7. n. 26.*

2 Sicuti enim in CAVSIS Feudorum Imperii Rom. Germanici *Majorum,* sive *Regalium,* decidendis Arbiter est superior Dominus Directus *IMPERATOR vel* solus, *vel* cum Consilio Electorum, & Principum, exclusâ Camerâ Imperiali Illustrissimâ; *non Regalium* vero IMMEDIATORVM, (sicuti & Comitatuum, & aliarum Jure Allodii possessarum Ditionum) Dicasterium Imperiale Aulicum, juxta & Camera Imperialis; Sed in Causis MEDIATORVM Dominus Feudi Immediatus Judex competens est:

3 atque LITE circa feudum Imperii *Regale, vel* super feloniam commissam inter Imperatorem, & Vassum, sive Principem Imperii exortâ, ex singulari Sacratissimæ Majestati reservatâ SuperEminentiâ summi, æque Judicis Feudalis scutum erigit, Sceptrumque tenet IMPERATOR; cujus Regiæ vicis Sacra Consilium Imperiale Aulicum, quod AVRIS Cæsaris, & Imperii, ejusque Judicium *Laterale,* & cum illo *ambulatorium* est, exequitur, Processum Feudalem moderans Nomine, & Autoritate Cæsaris, qui factâ cum Voto Relatione, posthinc unâ cum adhibitô Consensu Electorum, & Principum, quos locum Curiæ Feudalis Parium implere constat, judicat, causamque decidit:

4 CONTROVERSIA autem circa Feudum *Mediatum* inter Statum Imperii, sive Dominum immediatum, & Vasallum propter Investituram, *vel* feloniam per

perpetratam, sive super violentiam per Dominum Vasallo injunctam motâ, ex Jure Communi Judicium feudale agunt vel *Pares Curiæ*, seu, qui immediati ejusdem Domini, & Curiæ, eôdemque fidelitatis vinculô conjuncti Con-Vasalli sunt, *tam* Clerici, *quàm* Laici; *sive* de ipso Jure Feudi, aut in Petitorio; *sive* de Possessione Feudi, aut in Possessorio lis expedienda sit: *vel* Paribus Curiæ deficientibus illud coram Judice ORDINARIO instituitur.

5 Quorum partes, ex Usu Germaniæ, in quibusdam Provinciis, & Territoriis Principum, & Dominorum Præpositi, atque Consiliarii; sive Judicia Curiæ Feudalis cognoscendo, & judicando sustinent:

6 Ab illorum, & horundem tamen laudamentis, sive sententiis Cuicunque se gravatum credenti Remedia Provocationum, Appellationis, Revisionis, vel Nullitatis &c. Jure Communi salutariter sancita ad immediatè Superiorem ritè interponenda, dirigenda, & prosequenda, quovis modô insigniter adjutorio sunt: STRUV. *Synt. J. F. cap.* 16. MAI. *S. J. F. c.* 33.

7 Ita hâc præsente, & præclarè ordinatâ Justitiâ vix est, imo consulendum non videtur, ut, Domino Vasallum vi inermi spoliante, Vasallus absque culpa in Dominum cornua armata vertere, aut in repugnantia, licet ejus intentioni nullatenus incessit, Domino nocivus esse possit. *præsertim ubi Domini vis fuerit inermis.*

8 Unde & Vasallum à Domino vi tantùm enermi dejectum contra ipsum Interdicto UNDE VI citra feloniam experiri haud posse, adstipulante recentiori sententiâ, & Autoritate Magnorum Germaniæ JCtorum existimamus. BERNEGG. *in Exam. Jur. Th. Pract. lib.* 4. *Tit.* 15. *de interd. qu.* 63.

9 Nisi Domini vis inermis, & notoriè injusta multo ministrorum impetu, aut tantâ vehementia, & potentiâ constipata, minisque atrocibus cumulata sit, quæ armatæ vi fuerit similis. Eô casu Interdicto VNDE VI; *aut* resistentiæ in continenti *moderata*, tuendi Juris, & possessionis ergò susceptæ, citra periculum feloniæ locum esse hæsitandum non est. *Exceptio.*

9 Tutior de cætero tamen via videtur media, ut casu illatæ à Domino violentiæ atrocis Remedia illa Extraordinaria, veluti *deprædatio*, *Oppositio* &c. Autoritate Judicis prehendantur. Regulariter enim lis, quæ inter Dominum, & Vasallum super feudo, vel violentiâ in eo per Dominum Vasallo factâ suboritur, per Imperatorem, & Imperii Senatum; aut Suprema Dicasteria; aut Pares Curiæ, aut alia Provinciarum Judicia Feudalia, vel Ordinaria, uti supra monitum, dirimenda est. MYNS. *Dec. II. Resp.* 7. *per tot.* *Consilium de media in iis Remediis via tenendâ.*

§. LXXIII.

a) Continuationem Juris possessionis à Feudi Successore apprehensæ

Quemadmodum autem illud Jus Possidendi Feudum quoad Successionem in Hærede continuatur, & ideò Vasallo ante Investituram, & præstitum Juramentum Fidelitatis possessionem Feudi apprehendere licet; *eruditè* WESENB. *P. I. Cons.* 9. *n.* 30. 31. *Cons.* 41. *n.* 26. 27. 28. *eleganter* ROSENTH. *de Feud. c. VII. Concl.* 56. *n.* 7. KLOCK. *T. I. Cons.* 7. *n.* 59. 60. 61. 70.

2 atque in eâ etiam præprimis, & omnino manutenendus est, qui Vasallo tanquam Hæres legitimus succedit; AUG. BERO. *Cons.* 73. *n.* 40. *lib.* 1.

3 Ita Dominus ejusque Successor NEQUE tempus ad petendam Investituram *c) Investituram nec arctandam;*

ram definitum invito Vasallo coarctare; *argt. l. 4. §. 5. de Re Jud.* ROL. a VALLE *I. Cons. 18. n. 14. 15.* SCHRAD. *de feud. P. 6. c. 2. n. 2.*

nec denegandam.

4 NEQVE etiam Investituram Vasallo, vel ejus Hæredi cum oblatâ fidelitate ritè & honorificè petenti facilè denegare, aut prorogare debet. De Investiturâ nempe *unâ*, vel *alterâ*, aut *trinâ* vice interpellatus, nec Vasallum intra annum, & diem admittens, in morâ constituitur, ideoque *non solùm* Investitura posthinc habetur pro factâ; ROL. a VAL. *IV. Cons. 56. n. 18.* *sed etiam*, illâ ulterius recusatâ, Dominus Condictione ex Moribus; *vel* Actione ex Feudo à Vasallo compelli, SCHVRFF, *Cons. 148.* CARPZOV. *in Jpr. For. P. 2. Const. 45. Def. 25.* atque præterea injustè denegans, vel prorogans Investituram, causâ cognitâ, suô Jure, & Proprietate, quam in feudo habet, privari potest. KIRCHOV. *Var. Resp. T. I. Cons. XI. n. 2. T. 4. Cons. 22. n. 17.* SCHRAD. *de Feud. P. VI. c. 2. n. 7.* PRUCKMAN. *Vol. I. Cons. 28. n. 16.*

**) Actiones pro ea obtinenda; & proprietate feudi Dominum denegantem mulctandi.*

5 Etenim quo pacto Vasallus, intra tempus statutum Investituram petere negligens, feudo mulctatur; eâdem rationis paritate Dominus, Investituram Vasallo intra debitum tempus recusans, proprietate feudi cadit.

Exceptio I

6 NISI legitima recusitionis causa interveniat; ROL. a VAL. *I. Cons. 18. n. 22.*

II in feudi Emtore rustico.

7 *Aut* Vasallus Nobilis Feudum vendiderit Rustico, sive Ignobili, & pro illo Investituram peteret. Quem Dominus admittere haud tenetur: PAP. *Dec. Delph. 415. col. 2.* Quippe alius in Vasallum, atque nunc ignobilis, præterquam à Domino approbatus, ipsi obtrudi nequit: ROL. a VAL. *T. 4. Cons. 22. n. 3.*

Adjutorium pro ignobili.

9 Unde Emtori, oblatâ, factâque Domino certâ, pro ejus receptione, pecuniæ solutione, quæ aliàs *Laudemium* audit, plerumque consulitur. TIRAQVEL. *I. de Nobilit. c. 7. n. 16.*

§. LXXIV.

Autoritas Vasalli quo effectu vigeat in Expectativario.

1 Ex quo porro fluit, quod Autoritas Domini Utilis etiam in Feudo *Potentiali*, promisso, & Futuro radicata sit, adeo, ut Dominus Directus, licet *abusivè* duntaxat Vasallum investiverit, aut saltem Vasallum investire promiserit, nihilominus, si illi facultas tradendi Feudum venerit, Vasallo imploranti, & instanti ad Feudi promissi, & aperti veram Investituram faciendam, & rem feudalem tradendam statim devinctus teneatur. Quia fides data in feudalibus strictè servanda est: *c. si facta. II. F. 26.* BORCHOLT. *in Comm. de feud. c. IX. n. 10. seqq.* HARTM. PIST. *Qu. 25. n. 21. 22. Lib. 2. p. 2.* MOD. PIST. *Vol. I. Cons. 6. qu. 2. n. 22.* Imo ad præstandam omnem causam à die moræ damnas fit; KIRCHOV. *var. Resp. T. 4. Cons. 35. n. 4.*

2 Neque Vasallus pro remissione sui Juris ad acceptationem oblati, vel præstandi à Domino intresse obligetur. *d. c. si facta. II. F. 26.*

Exceptio.

3 NISI Dominus facultatem tradendi feudum apertum non habeat. Quo casu Expectativarius Vasallus intresse accipere debet. MATTH. de AFFL. & alii *Interpp. ad d. C. si facta de feudo in verb. Dominum. si de feudo Def. contentit.* H. PIST. *d. Qu. 25. n. 24. 25.*

§. LXXV.

Autoritas Vasalli dispositoria est

1 Exploratâ Domini Utilis Autoritate, quâ plenissimam facultatem Utendi-fruendi, & Jus possidendi, est, ut quoque consideremus eam quâ RESTRICTIONEM, & Participationem PROPRIETATIS, quæ in liberâ dispositione rei feudalis possessæ, ejusque efficaciâ consistit. 2 Cer-

2 Cernimus enim hanc Autoritatem spirare Vasallo competentem Potestatem *vindicandi* ipsam rem feudalem, & Jura ad feudum pertinentia persequendi: *c. Rei autem. II. F. 8. argt. l. 1. §. 1. D. si ager. Vect. & Emph. L. 23. D. de R. V.* BARO de SCHENCK. *ad § fin. n. 9. II. F. 23.*

in libera facultate α) agendi

3 & in Genere omnes Actiones Utile Dominium spectantes, & contra ipsum institutas suscipiendi, & exceptionibus se tuendi: *c. un. verb. Utiliter agendi. II. Feud. 43.* VULT. *de Feud. I. c. I. n. 18. seqq.*

β) excipiendi;

4 Imo feudo evicto, etiam contra Dominum Actionem de præstanda Evictione instituendi; *sive* Dominus sciverit, *sive* ignoraverit, feudum fuisse alienum:

γ) de præstanda Evictione experiundi;

5 Nisi Investitura facta sit annexâ Clausulâ: *Juribus alienis semper salvis.* BORCHOLT. *in Comm. in feud. c. IX. n. 1. 2. 16. seqq.*

6 Sicuti etiam facultatem bonâ fide de Feudo, Domino ignorante, TRANSIGENDI; Licet etiam Vasallus Feudum non retineat, sed id Adversario, aliquo accepto, cesserit. *Baro* SCHENCK. *in c. si Vasallus de beneficio. II. F. 26.* VULT. *de Feud. c. X. n. 153.* FINCKELTH. *Disp. Feud. IX. Th. 15.*

δ) transigendi de feudo;

7 Nec ad agendum, excipiendum, vel transigendum opus habet Vasallus Domini consensum adhibere. RITTERSHUS. *de Feud. lib. 2. c. 2. qu. 16.* FICHARD. *Vol. 2. Cons. 3. n. 11.* GOTOF. BARTHIUS *in Exerc. Feud. de Potestate Vasall. litig. nec non transig. de feudo.*

etiam inscio Domino Dir.

8 Siquidem vincens Vasallus in Judicio, sive transactione feudum retinens, aut victus, vel transigendo feudum, uti lis mota, vel imminens urget, in Adversarium transferens Domino, quoad Dominium Directum, non præjudicat: Ideoque Dominus tenetur id, quod Vasallus bonâ fide egit, ratum habere. *d. c. si Vasallus de benef. II. F. 26.* MATTH. de AFFLICT. *in c. un. II. F. 43.*

§. LXXVI.

Eâdem ratione Jus bonâ fide COMPROMITTENDI in *Arbitrum*, sive Judicem, consensu adversarii, eligendi, cujus sententiâ controversia feudalis, salvo Jure Domini, decidatur, Vasallo competere videtur: per text. *cap. Vasallus pr. II. F. 15. C. 1. pr. vers. si autem.* II. *F. 34. C. un.* II. *F. 46.* VULT. *de Feud. c. 2. n. 3.* FINCKELTH. *Disp. Feud. IX. th. 14.* Quanquam cum aliis Interp. & Dd. contrariam fovet sententiam. SCHRAD. *de feud. P. X. Sect. 1. n. 166. 167. seqq.*

ε) b. f. compromittendi in arbitrum.

§. LXXVII.

1 Atque ex hoc fundamento Vasallus FOEDUS cum altero Vasallo, salvô Jure Domini, inire valet.

ζ) fœdus feriendi;

2 Veluti Civitas se *alterius* Protectioni, ut ab eo defendatur, salvô Jure Domini Superioris, submittere potest. MENOCH. de *Arbitr. Jud. quæst. lib. 1. Cent. 6. Cas. 584.* LIMNÆUS *in Jur. Publ. T. II. lib. 4. c. VIII. n. 50.* STRYCK. *de Succ. ab Int. Diss. 8. c. 8. § 14.*

η) atque protectionem suscipiendi;

3 Imo Vasallus fœdus, vel amicitiam cum Inimico Domini, salvo Hujus jure, certâque ratione impune contrahere potest.

4 Modò illa Confœderatio in perniciem, & præjudicium Domini *notabile* nequaquam inclinet, *nec* cum revelatione Secretorum Domini & Imperii, *nec* suppe-

θ) amicitiam cum inimico Domini salvâ fidelitate habendi;

Fœderis dolosi effectus. suppetiis, contra Dominum quolibetcunque modo, & arte latis, *nec* id genus cæteris facta sit. Eo enim pactô Vasallus feudum cum omnibus privilegiis, quæ à Domino obtinere dignoscit, penitùs perdit.

ejus probatio: 5 Illud tamen fœdus *dolosum*, aut dolo proximum, & in grave Domini damnum directum à Domino *probandum* est.

Limitatio; 6 Etenim damnum modicum, & fortè ex accidenti citra Vasalli dolum superveniens in feloniam, & animadversionem adduci nequit. ROL. a VAL. *T.* III. *Conf.* I. *n. 80. 81. 84. 93.*

Consilium. 7 Suadendum *tamen* Vasallo, ut extra casum necessitatis à familiaritate Inimici Domini, ejusque fœdere magis abstineat, ne in suspicionem conspirationis incidat sibi magis exitialem; PANCIROL. *Thes. Var. Lect. lib. 1. c. 90.*

Hujus illustratio. 8 Sic Hunnorum Regi Cacanno, Pannoniam beneficio Langobardorum tenenti, à Rege Langobardico Grimoaldo in pejorem partem, quod hujus inimico, Parthari, occisi Gundiperti Regis Langobardorum Fratri, duntaxat asylum indulserat, graviter acceptum, culpæque versum, atque eâ severitate denunciatum fuit: *Parthari statim non dimisso, eum fidei violationem se ulturum, & ad vindicandas pristinas sedes ducturum esse.* Quô compertô Cacannum Parthari ex ditionibus Pannonicis discessum illico indicasse verbis: *Proficiscatur, quo velit, sibi non expedire, Langobardos in se provocare;* digna relatu legimus. CRANTZ. *in Chron. Daniæ lib. 3. c. 26.*

§. LXXVIII.

ι) feudum meliorandi, 1 Porro quanquam Vasallus rem feudalem quidem *meliorem*, sed non deteriorem reddere potest; *C.* I. *§. è contrario.* II. *F. 8.* D. IOH. FICHARDUS *T.* I. *Conf. 5. n. 1.*

κ) ædificandi; 2 Sicuti ab illa Autoritate Domini Utilis dependet facultas in prædio feudali *libere* ÆDIFICANDI, & Domum extruendi; *C. si Vasallus.* II, F. 28. FICHARD. *d. T.* I. *Conf. 13. n. 3. 4. & Conf. 20. n. 1.*

λ) Servitutem ei acquirendi, 3 Nec non insciô Domino, SERVITUTEM feudo *acquirendi*, uti fundo jam constitutam vindicandi, & retinendi: *cap. Rei autem. 2 de Invest. de re alie. facta.* Quod non est in manu Usufructuarii: *L. 13. §. 7. L. 15. §. ult. L. 44. D. de Usufruct.* BOCER. *de feud. lib. 2. c. 6. n. 30.*

μ) eandem quà se & hæredes imponendi tam Realem; 4 Attamen, ejusdem Autoritatis valore, Vasallo competit etiam Potestas *Servitutem* REALEM quoad suam, & suorum Hæredum vitam, (citra tamen Domini, & Agnatorum præjudicium) feudo imponendi. *d. c. 2. de Inv. de re alie. fact.* WESENBEC. *de Feud. c. XI. nº 7.* BORCHOLT. *de Feud. cap. 8. n. 59.* MATTH. COLER. *Consil. 34. n. 107.* Vivò enim alienatore, ejusque Hærede vivo durat quoque Jus acceptoris KIRCHOV. *var. Resp. T. V. Conf. 22. n. 15. seq.* FINCKELTH. *Disp.* Feud. *IX. Th. 6.*

quàm Personalem. 5 Atque hinc & eodem respectu PERSONALEM quoque *Servitutem*, utputa Usumfructum in hac, vel illaParte feudi moderatè constituendi: ROL. a VAL. *Vol.* II. *conf. 59. n. 8.* BORCHOLT. *de Feud. cap. 8. n. 64.* PINEL. *ad l. 1. par. 3. n. 71. C. de Bonis Mat.* MATTH. COLER. *conf. 52. n. 86.*

Hujus limitatio 6 Modo non in Universitate, vel Majore parte feudi fiat. Quandoquidem illud fini, & Naturæ feudi contraveniret, & Vasallus fructibus destitutus eô ipsô sumtibus ad præstanda servitia necessariis privaretur, atque Domino ipsi

non

non mediocre inferretur præjudicium: SONSBEC. *p. 12. n. 103.* CURT. *Jun. de Feud. p. 4. n. 106.* ROSENTH. *cap. IX. Concl. 10. de Feud.* FINCKELTH. *Disp. Feud. 9. th. 7.*

1 Præterea illius Autoritatis, & Qualitatis ea quoque singularis Vis est, ut Utile Dominium certo modo etiam Dominium Directum esse valeat. **) Dominii Directi Analogiam in se constituendi.*

2 Quemadmodum enim Dominus Utilis rem, utputa Prædium Emphyteuticum, vicissim alteri *subemphyteuticare*, sive perpetuò sub *annuo Canone* concedere: MAVL. *de Emphyt. Tit. 2. n. 7.*

3 Ita Vasallus Rem feudalem *non tantùm* bonâ fide LOCARE; *sive* ad breve, *sive* ad longum tempus, v. gr. *decem*, vel plures annos, ea LOCATIO fiat, secundum generalitatem textûs, §. *donare II. F. 9.* RITTERSHVS. *de Feud. c. III. qu. 36.* RVDING. *Var. Lect. feud. C. 53. Lib. I.* DN. de BERGER, *II. Resp. 158. post init.* *§) feudum locandi.*

4 *Sed &*, permittente Lege, *vel* totam *vel* partem, *sive* Feudum Seculare, *sive* Ecclesiasticum sit, subinfeudare potest. BALD. *in cap. I. verb. Marchio. n. 9. De his, qui feud. dar. poss.* KOHL. *de subfeu. cap. I. n. 10. seqq.* VULT. *de feud. lib. I. c. X. n. 139. seqq.* SCHRAD. *de feud. P. 8. c. 2. n. 10. 11. 12.* **) subinfeudandi.*

5 Eò nimirùm modò, ut feudi *Dominus* PRIMVS sit Major, & Superior, sive *Mediatus*, qui Dominium superius retinet; Vasallus verò subinfeudans sit *Dominus Utilis* Superior & Dominus Directus INFERIOR, sive *Immediatus*; SVBVASALLVS verò Dominus Utilis inferior; & respectu Domini sui Directi *Vasallus Immediatus*, veluti ratione Primi Domini *Vasallus Mediatus* audiat. *salvo Dominio Directo primo.*

6 Cujusmodi Moris Naturam in Feudis Imperii Romano-Germanici perspicimus, quæ ab Imperatore Invictissimo in Reges, Electores, Principes, Comites, Barones, & Equites immediatè derivantur. Qui itidem Feuda Nobilia ad Regna, Electoratus, Principatus, Comitatus, & Dynastias suas spectantia, rursus Principibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus, eâdem Lege conferunt, & respectu horum feudorum *particularium* verè DOMINI DIRECTI; Ratione vero Universi sui Regni, Ducatus, vel Comitatûs, &c. de quibus immediate ab Imperatore investiti, Vasalli Imperatoris, & Imperii quoque sint, & dicantur, ROSENTH. *Cap. IX. Concl. 64. n. 3.*

7 Atque eâ de causâ Imperator Fridericus I. Vasallum suum, qui de feudo suo alium Vasallum habet, respectu SVI *Vasallum*; consideratione verò Sub-Vasalli *Dominum* appellat; *per text. notab. in cap. Imperialem. §. illud quoque II. Feud. 55.* KOHL. *de subfeud. cap. IV. n. 18.*

8 Nec enim impedit, & frequentissimum est; Eandem Rem pro diversis habendi Modis ad diversos spectare. PVFENDORFF. *de J. N. & G. Lib. 4. c. 4.*

§. LXXX.

1 Ista autem Subinfeudatio, seu Subfeudum, Germ. ein Affter-Lehn, Gallis bailler en arriere Fief, dictum, Jure Antiquo Speciali introductum, neque Novo Feudali prohibitum, sed ab omnibus fere Doctoribus, Feudistis, & Canonistis approbatum: post omnes Interpp. BALZARAN. *in c. beneficium. n. 6. & 7. Si de feud. Defunct. cont.* HART. PISTOR. *Lib. 2. P. 2. Qu. 44. n. 1. 2.* *Subfeudi legitimi*

2 quod est Concessio Feudi adæquata alteri à Vasallo legitimè facta, aliàs *definitio*

Feudum *subalternum* vocatum : WEHNER. & BESOLD. *in Thes. Pract. voce* Aftter Lehn. VULT. *de Feud.* I. *c. 10. n. 138.*

distinctio ab alienatione illicitâ.

SICVTI Autoritati Vasalli ideo adhæret; Quoniam in eâ nimirum subinfeudatione, & interdictis Feudi Alienationibus disparata versatur ratio, atque per illam Jus Vasallagii non mutatur, neque deterius redditur, sed Subinfeudans nihilominus Vasallus, & Domino Directo in solidum, quâ fidelitatem, & servitia obligatus permanet, ac proinde SVBINFEVDATIO vera Alienatio proprie dici nequit; quamvis analogicè & abusivè à quibusdam Dbus *Alienatio permissa* voccetur; EGVINAR. BARO *in sua Meth. c. 1. vers. est enim Generaliter. lib. 3.* Quia per eam *nec* Jus Vasalli, *nec* totum Dominium Utile, quod PRIMO Vasallo competit, transfertur, adeoque vera Alienatio feudi non perficitur, neque in futurum, uti in Hypotheca fieri solet, caussatur; sed nexu feudali in Subinfeudante semper remanet SVPERIORITAS, & respectus *Domini Directi* Immediati cum facultate imperandi *tam* quoad Jurisdictionem Feudalem, *quam* quoad honorem, & servitia jubenda, in Subinfeudato vero INFERIORITAS, & Obligatio ad obsequendum, & serviendum, quanquam Subinfeudatio *bis*, *ter*, *quaterve* reiteretur; His omnibus enim Domino Primo quoad Servitia, Fidelitatem & interesse non præjudicatur: Siquidem resoluto Jure Subinfeudantis & Subinfeudati FEUDVM ad illum revertitur RAYNAVD. *in c. 1. §. callidis. n. 7. II. F. 55.* & ibi CAMERARIVS *n. 33.* DVAREN. *de feud. c. XII. n. 12.* FRANTZK. *de Laud. cap. 14. n. 36. seqq.*

Subfeudi legitimi

3 ITA, licet ILLA absque consensu Domini, & Agnatorum citra periculum feloniæ, & Amissionis licita, & permissa, SCHRAD. *de feud. P. 8. c. 2. n. 10.* MATTH. COLER. *cons. 52. n. 3. seqq. n. 58.* *Sive* Feudum in Curte, *sive* extra curtem Domini positum sit: BOCER. *de Jur. & Commod. Senior. c. VI. n. 58. seqq.* FINCKELTH. *disp. feud. IX. th. 1.*

Requisita

4 Certâ tamen Lege definita est, ut

I. *bona fides.* I) SYNCERE, *bonaque fide*, absque fraude, & simulatione fiat: *cap. un. vers. vero. II. F. 9. c. 1. §. similiter de Lege Corra. d. c. 1. §. callidis. II. F. 55. & ibi* GLOSS. & MATTH. de AFFLICT. MYNS. *Cent. I. O. 62.* WESENB. *P. II. cons. 73. n. 53.* Quæ BONA FIDES tam latè patet, & necessaria hic est, ut reliqua Requisita includat. Eâ enim deficiente, licet reliqua salva sint, totus tamen Actus in irritum labitur. H. PISTOR. *lib. 2. Qu. 44. n. 4.*

II. *Idoneitas Subvasalli:* II) ut *Personæ* IDONEÆ fiat, quæ paris conditionis, & Qualitatis quà serviendum cum subinfeudante sit, nimirum talis, ut feudo servire possit: ita, ut si dans sit Miles, ille quoque qui feudum accepit, militem præstet; *d. c. 1. §. similiter. d. L. Corr.* ZASIVS *P. 9. n. 9. de feud.* VULT. *de Feud. lib. I. c. 10. n. 143. seqq.* Inidoneus enim Domino obtrudi nequit. KOHL. *de subfeud. c. II. n. 4. 6. & 7.*

III *proportio cum primâ Investitura.* III) ut EADEM FIGVRA, *Lege & Jure*, iisdemque conditionibus & Qualitatibus, quibus ipse Vasallus, sive Dominus Secundus feudum tenet, Subinfeudatio constituatur. Nimirum, ut, si à Domino Primo ille pro se, & suis Hæredibus (quod de solis Masculis intelligitur) de Feudo investitus sit, in eâ etiam Qualitate, & non aliâ fiat Subinfeudatio. *Cap. I. §. profectò. de Leg. Corr. & ibi* ISERNIAS *n. 14. aliique Interpp.* BVRSAT. *Cons. 150. n. 64. 65. seqq. lib. II.* H. HARTM. *2. Obs. tit. 54. Obs. 37.*

§. LXXXI.

§. LXXXI.

1 Horum igitur Requisitorum Necessariorum Uno, *vel* altero non observato totum Subfeudum corruit, atque Vasallus simitu Feudo privatur. Quoniam fraudulenta Subinfeudatio semper prohibitæ Alienationi æquiparanda est, *Bar.* SCHENCK. *in d. §. 2. vers. profecto.* *Subfeudi illegitimi Ruina.*

2 Unde & hoc respectu in fraudem Domini, & Agnatorum factam, & ideo irritam judicandam esse Subinfeudationem, si I. Vasallus, *senio* confectus, *liberisque carens*, vel aliâ de causâ prolem non sperans, Feudum subinfeudaverit, sentiunt, BELVIS. *in c. 1. §. sed etiam.* II. F. 3. *aliique Interpp.* KLOCK. *T. II. cons. IX. 28.* *Ejus Species I.*

3 II. Si Vasallus alicui Subfeudum concesserit, ut illud ad Personam *prohibitam* commodè perveniret, statuunt, *Jac. de* ARDIZON. *in Sum. Quib. Mod. feud, acquir. Rubr. in fraud. c. 16.* ALEX. *Conf. 15. n. 9. lib 5.* DUAR. *c. 12. n. 13.* *Species II.*

4 NISI Vasallus in ejusmodi minùs rectâ Subinfeudatione *Consensum* DOMINI, vel insimul pro rei naturâ *eorum*, quorum *interest*, adhibeat; Quo factô Omnis fraudis præsumtio cessat, & Subinfeudatio roboratur, & perpetuatur, KOHL. *de Subfeud. c. 1' n. 12* *Salvatio I*

5 *Aut* speciali pacto, *vel* privilegio Vasallus nactus est potestatem *Inferioribus* vel *Inidoneis subinfeudandi.* WESENB. *P. 2. Conf. 73. n. 53. in fin.* *II.*

§. LXXXII.

1 Quo magis hinc SVBINFEVDATIO legitima omnino procedit, & valida est; SCHNEID. *de feud. P. 6. n. 69.* ita ut Dominus non habeat Jus Retractûs; WESENB. *P. I. Conf 41. n. 167.* *Subfeudi Legitimi validitas,*

2 Quamvis facta sit acceptâ pecuniâ: Quia ea, salvô Jure Domini, fraudem non involvit: *argt. c. 1. §. sed etiam Rts. II. F. 3.* DN. de BERGER. *II. Resp. 289.* *etiam intervenientepecuniâ;*

3 Modo illud non occultè, aut clam, sed publice factum sit: MATTH. COLER. *Conf. 52. n 38.*

4 Quamvis etiam Investitura Feudi à primo Domino data sit cum inserto Pacto: *ne alienetur.* Quoniam hoc ipso Alienationes proprie tales, & prohibitæ, non autem Subinfeudatio, quæ lege permissa, nec vera, nec propria Alienatio est, intelligenda sunt. CURT. *Jun. de feud. P. 4. n. 84.* ROSENTH. *de feud. Cap. IX. Concl. 46. n. 9.* *aut pacto alienationem vetante;*

5 Eo minus in concesso Subfeudo SVBINFEVDATI JUS, Vasallo subinfeudante licet defuncto, vel ejus Jure resoluto, extinguitur

TAM respectu DOMINI PRIMI, ejusque Hæredis; si feudo sibi aperto Sub-Vasallus sese offerat, & paratus sit Domino & Juramentum, & Servitia præstare: Eô enim pactô Dominus Feudum revocare, aut ei auferre non valet, sed Subinfeudationem ratam habere, ipsumque pro Vasallô suô agnoscere tenetur; Quia hic ad servitia idoneus, & defuncto Vasallo similis, atque eô ipsô Legislationi Feudali, quæ hac in re Judex, satisfactum est: per text. expr. *c. 1. pr. vers. si vero. II. F. 9.* ISERNIAS *in c. I. verb. vel postquam. n. 29. 30. & ibi* *quâ Dominum Primum, observatâ tempestivâ Oblatione.*

ibi NARDVS *in Gl. I. verb. Datoris primi.* CURT. *Jun. in Tr de feud. P. 4. n. 85.* NATTA *Conf. 119. n. 3.* MYNSING. *C. I. O. 62.* SCHRAD. *P. 8. c. 2. n. 23.* D. IOH. FICHARD. *Vol. 2 Conf. 26 n. 16.* Quanquam HARTM. PISTOR. *in d Qu. 44. lib. 2.* ex singulari, & Textui minus convenienti Interpretatione contra textum manifestum dicti *c. 1. vers. si vero. II. F. 9. & cum illo* FINCKELTH. *disp. feud. IX. th. 4. aliique ipsos sectantes* diversum statuere conantur;

quà Agnatos vel limitata, 6 QVAM etiam respectu AGNATORVM & COINVESTITORVM, nimirum si, (a) Feudum ipsis nondum apertum, sed vel subinfeudans, vel ejus descendentes, & Hæredes superstites sint. Quamdiu enim horum aliquis in vivis, tamdiu Jus Subvasalli durat, & revocationi Agnatorum locus esse nequit; *Bar.* SCHENCK. *in d. c. I. §. sed etiam res. II. F. 3. ibique alii Interpr.* CARPZ. *in Jpr. for. P. II. C. 48. Def. 13.* Sed deficiente ULTIMO Hærede tunc demum Subinfeudato, si ipsi Subfeudo Agnatorum consensus non accesserit, & feudum non Novum, aut Hæreditarium, sed *antiquum*, & *ex* PACTO, & PROVIDENTIA fuerit, ab Agnato proxime succedente periculum Revocationis imminet, MOLL. *in c. de his, qui feud. dare poss. n. 26.* THOM. de MARIN. *de Gen. & Qual. feud. T. 2. §. Constitutio. n. 38.*

vel ex natura feudi & subfeudi perpetua. 7 *Aut* si (b) res subinfeudata *Universali*, vel *Regali* Feudo subjecta, & *portio* ejus, vel *Minor pars*; *Aut* antiquitus in feudum data, & subinfeudari solita sit. Veluti in Feudis Imperii MAJORIBVS ab IMPERATORE concessis, scilicet Principatu, Dominatû &c. à quibus multa Feuda *Minora* dependent, quæ alii Vasalli Minores ab illo Principatu, vel Dominatu recognoscunt, cernimus. CAMERAR. *in c. Imperialem. p. 39. seqq. II. F. 55. per tx. in c. 1. II. F. IX. & c. I. vers. Laici. I. F. III.*

Exceptio I 8 NISI (1) in primâ Investiturâ Pacto speciali conventum sit: *Ne subinfeudetur;*

II 9 *Aut* (2) Subinfeudans ob culpam, aut Crimen in ipsum Dominum commissum Jure Feudi ceciderit, illudque ideo in ultionem ingratitudinis, & Injuriæ ad Dominum revertatur: *c. 1. §. fin. II. F. 24.* Eô enim factô culpa Vasalli ipsum Feudo privans afficit quoque Sub-Vasallum, adeo, ut sicuti hoc casu Dominus Agnatos vincit vincentes Sub-Vasallum, eò magis Sub-Vasallum, causam à Vasallo habentem, excludat. *l. de accesfionibus. 14. §. 3. & ibi Gl.* & BARTOL. *D. de divers. temp. præscr. & de Access. poss.* HARTM. PISTOR. *lib. 2. Qu 44 n. 28.*

Regressus Subvasalli 10 Sub-Vasallo autem contra subinfeudantem, ejusque Hæredem remanet regressus ad præstandæ Evictionis Actionem, per ea, quæ supra cap. I. §. 23. demonstravimus.

Except. III 11 NISI (3) Subinfeudatio constituta sit in Regali, & Universali Feudo. VULT. *de feud. c 10. n. 140.* SCHUTZ. *Syn feud. c. 4 n. 21.*

IV. 12 *Aut* etiam de Illius Quotâ, & præcipuâ Parte, *vel* Majoribus Regalibus cum diminutione Universi *notabili*: Quæ de antiquo Feudo in præjudicium

cium Agnatorum subinfeudari non posse, sed ejusmodi Subfeudum morte subinfeudantis exspirare tradit KOHL. *de Subfeud. c. 2 n. 8 seq. & ibi* HENNING. SCHADEN.*in Not. adj.* ZIEGL. *de Jur. Maj. lib. I. c. 4. n. 28.* KLOCK. *conf. 4. n. 56 T. I.*

13 MODO (a) Agnatus proxime succedens, simulque Hæres subinfeudantis *Replicatio* factus non fuerit: *Mich.* GRASSVS *Vol. II. Art. Transmissio. Qu. 31. n. 1. 2. 3.* I ROSENTH. *de feud. C. 9. Concl. 69.*

14 MODO & (b) Subinfeudationi Feudi Aviti non accesserit Agnati Consensus *Expressus*, vel *Tacitus* actu aliquo, veluti scientis Agnati præsentiâ, & nonrepugnantia, *aut* ejus appositô sigillo, *aut* subscriptione aliqua SPECIALI, aliâ tamen, quàm perhibendi testimonii causâ, factâ, probatus; *l. Gajus. 39. D. de pignor. act. c. 1. §. 1. quib. mod. feud. amitt. & ibi* GOTOFR. *Fr.* BURSAT. *Conf. 32. n. 3.* Quibus casibus illam etiam post *mortem subinfeudantis* stabilem, & firmam manere; ZIEGL. *de Jur. Maj. lib. I. d. c. 4. n. 28. seqq.* II

15 Sicuti & in Genere omnem Subinfeudationem, quæ in quolibet novo feudo, aut in *quanta*, & MEDIOCRI tantùm *parte* Feudi *Regalis* contracta fuerit, nec Agnatos, nec Liberos revocare posse expediti, notissimique Juris est. MATTH. AFFLICT. *in c. Imperialem. n. 33. II. F. 55.* CORNEVS *Conf. 119. lib. 2.* KOHL. *de Subfeud. c. I. n. 7. & ibi* HENNING. SCHAD. *in Not. adject.* III

§. LXXXIII.

1 De consuetudine verò Germaniæ introductâ TOTVM, & PARTEM feudi Regalis MAJOREM in Subfeudum libere concedi posse, Autoritate plurimorum JCtorum confirmat ITTERVS *de feud. Imp. c. 22. n. 5.* quem sequitur HORN. *Exerc. 15. n. 41.* Conf STRYCK *de Jure Allod. Princ. Imp. c. 5. n. 43.* IV

2 Licet contrariam nomothesiæ feudali, reique naturæ magis convenire *Opinio* cum Kohlio l. c. approbant BOCER. *Cl. 5. Disp. 14.* STRUV. *in S. I. F. c. 12. contraria. aph. 10. n. 5. 6*

3 Uti & BONA MENSÆ, Ecclesiæ incorporata, nec alienari, nec in subfeu- *an in bo-* dum dari debeant KOHL. *de subfeud. c. 3 n. 11.* *nis Mensæ*

4 NISI anteà solitum fuerit, in subfeudum concedi; *aut* Capituli Consen- *subsistat?* sus, aliaque alienationis licitæ requisita accedant. FELINVS *Conf. 42. n. 6.* *Requisita.* ROSENTH. *Cap. 4. Concl. 15. & 16* KOHL. *de Subfeud. l. c.*

§. LXXXIV.

1 Scaturire hinc Quæstionis controversæ veram, & evidentem Conclusio- *Subinfeu-* nem in aprico est, quod, sicuti ab AUTORITATE Domini UTILIS, sive Vasalli *dationis* Subfeudum *unice* originem trahit, & dependet: Ita quoque in Subfeudi alie- *Sequela* I. natione ad ejus validitatem Consensus Domini Immediati, sive Vasalli subin- *Consen-* feudantis, non autem Domini Primi & Mediati necessariò adhibendus sit. *sum subin-*

2 Quanquam enim hæc Quæstio diversis DDrum Opinionibus affecta sit: *feudantis* cum QUIDAM Consensum Domini *Majoris*, & *Primi* ob remanens apud ipsum *in subfeudi* Directum Dominium, & Vasallo absque Domini Consensu interdictam aliena- *alienatio-* tionem; MYNS. *Cent. V. Obs. 66.* ALII Consensum Domini *Secundi*, & *Im-* *ne unice*

 media- *adhiben-* *dum.*

mediati ob generalitatem Constitutionum Feudalium, & Iurisdictionem quoad *Primam Instantiam* in Sub-Vasallum Domino *proximiori*, & non Mediato competentem, nec non ob *devolutionem* Subfeudi, ex culpâ Subinfeudati in Primum, & Mediatum Dominum commissi, non in hunc sed in Secundum, & Immediatum Dominum retundantem: RAYNAUD. in *c. 1. §. illud quoque n. 8.* AFFLICT. *Sect. Duodecimo noto: n. 16. seqq.* CAMERAR. *p. 451. & 474.* II. F. 55. CÆTERI denique *Utriusque Domini tam* primi, *quam* Secundi, propter utriusque competens Iutresse, & ideo necessariam OMNIUM approbationem requirant. BALZAR in *d. c. 1. n. 36. II. F. 55.* SCHRAD. *de Feud. P. VIII. c. 7. n. 26. 27. seqq.* FINCKELTH. *Disp. feud. 9. th. 3.*

3 MEDIAM tamen, ut veriorem, & Rei naturæ conventiorem cæteris prævalere, ex eo clariùs dilucet; Quia Dominus *Secundus*, sive Vasallus SUBINFEUDANS facultatem subinfeudandi cum exclusione Domini Primi privative, & unicè possidet. Siquidem Dominus Directus Feudum sui Vasalli subinfeudare nequit; MENOCH. *de Arbitr. Iud. lib. 2. Cent. 2. Cas 200. n. 5.* Et hinc Vasallus Vasalli non est Vasallus Domini Primi, & Mediati, sed Domini Secundi, & Immediati. Quamvis Sub-Vasallus Major sit Vasallo subinfeudante. Intuitu enim Feudi Ille *superioritati* subjicitur Domini Rei feudalis, etiamsi Dominus quidam esset RUSTICUS. Quod etiam in ECCLESIA feudum recipiente, & ob id ad ea servanda, quæ alii Feudatarii de Iure Domini servant, obligatâ procedere tradit PEREGR. *in Tract. II. de Iudiciar. Mater. ad Cap. Cæterum X. de Iudic. n. 9.*

4 Atqui Actus Subinfeudationis *præstanti* tribuit AUTORITATEM: Cum à Vasallo omnis potestas subinfeudandi pendet; Sequitur ergo quód in hujus respectu, & Autoritate prævalentia sit, ejusque, tamquam Immediati, Consensus in Subfeudi Alienatione, ad ejus validitatem necessario, & unicè adhiberi debeat. Quandoquidem Subinfeudatio à Vasallo, utpote *proximo Domino*, & non à primo, & Mediato Domino procedat. *L. 2. C. de Vet. Iur. Enucl.* MENOCH. *de Arbitr. Iud. lib. 2 Cent. 2. d. Cas. 200 n. 8. 9.* Atque Vasalli Mediati à Domino immediato, non auten Mediato Investituræ renovationem petere, eique juramentum fidelitatis, servitia, collectas, & Laudemium præstare tenentur; & ideo propriè Vasalli Domini Mediati non existunt, sed Vasalli *Domini Immediati dicuntur.* SCHRAD. *in Tr. Feu. P. 10. Sect. 7. n. 4. 5.* FIHHARD. *Vol. II. d. Cons. 26. n. 18.* Coram quo etiam forum ratione Subfeudi sortiuntur, illumque recognoscere debent. NATTA *Cons. 387. n. 20.*

5 Magis igitur est, ut Domini Immediati Consensus in alienatione ejus Juris, quod ipse in Sub-Vasallum transtulit, præprimis, & necessario requiratur. Quoniam subinfeudans consensum Alienationi Subfeudi adhibendo solùm consentit, ut Jus illud, quod penes Vasallum ejus est, in alium eâdem Lege, & nexu feudali transferatur, salvo interim manente & suo, & Directi Domini Jure, ideoque Consensus Domini Primi & Mediati necessarius esse nequit. Quam sententiam defendit etiam post alios MENOCH. *Cons. 226. n. 171. seqq.* limitando HART. PISTOR. *lib. 2. P. 2. Qu. 45. n. 13. 15. seqq. add.* CURT. *Iun. Cons. 1. n. 29. & Cons. 61. n. 9.* GOZADIN. *Cons. 50. n. 9.* Eamue de consuetudine

Fran-

Francicâ testatur CHASSANE. *in Consu. Burg. Rubr. 3. §. de fiefs. verb. du Seingneur.*

6 NISI Subfeudum alienetur in Potentiorem; *vel* sub specie allodii *vel* in manus mortuas, veluti *Ecclesiæ, Universitati, Collegio &c.* Ubi utriusque *tam* Domini Immediati, & Secundi, *quam* Domini Primi, & Mediati Consensum necessarium esse magis existimandum est. *Cap. 1. §. inde I. F. 13.* MOLIN. *in Consuet. Paris. §. 1. Gl. 6. n. 1.* SCHRAD. *de feu. P. 8. c. 2. n. 16.* BOCER. *de Iur. & Commo. Sen. c. 6. n. 58.* *Exceptio I Generalis;*

7 NISI etiam (2) Subfeudum in ditione AUSTRIACA situm sit, cujus Alienatio, vel Subinfeudatio, inconsultô Archi-Duce, Primo, & Mediato Domino, citra ejus privationem, vigore Privilegiorum Archi-Ducatui Austriæ ab Imperatore Friderico I. & II, similiter Carolo V. indultorum valide fieri nequit. vid. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 2. §. 13. 14. 15.* *II. Specialis.*

§. LXXXV,

1 Ulterior quoque ex hac Autoritate Vasalli Illatio exstruitur immota, quod non solum ob culpam Subinfeudati, in Dominum primum, & Mediatum perpetratam, Subfeudum non Illi, sed Domino *secundo*, & Vasallo *subinfeudanti* aperiatur; NATTA *T. 1. Cons. 119. n. 1.* sed et eidem Domino Immediato subfeudo illicite alienato illud unicè committatur, & applicetur idèoque ipsi Revocatio feudi commissi, excluso Domino primo, competere debeat. Quam Iure veriorem, & Usu frequentiorem Opinionem post MATTH. AFFLICT. *in c. 1. §. illud quoque n. 5.* tenent etiam *Franc.* BURSAT. *Cons. 91. n. 2. lib. 1.* HARTM. PIST. *lib. 2. P. 2. qu. 45. n. 18 seqq.* *Sequela II. Subfeudi commissi revolutionem ad Dominum immediatum spectare,*

2 NISI in potentiorem, vel manus mortuas illius SUB-FEUDI *Alienatio* absque Primi, & Supremi Domini CONSENSU peracta, & *consummatâ* esset, atque immediatus, & inferior Dominus in *præjudicium Domini* Superioris huic Alienationi expresse, vel tacite *annuisset*. Eo casu Domino *Primo*, & *Mediato* illud Subfeudum illicite alienatum committi, & aperiri extra dubii aleam positum est. Etenim hujusmodi Alienationes CONSENSU *omnium* Dominorum, Majoris, & Minoris fieri debent, ob utriusque competens intresse, ne Ius suum diminuatur; MOLIN. *in Consuetudin. Paris. §. 1. Gl. 6. n. 11.* ROSENTH. *C. IX. Concl. 32.* *Exceptiò.*

§. LXXXVI.

1 Eâ quoque liberâ facultate AUTORITAS *Vasalli* spectabilis est, quod is Feudum suum *vel* ipsi Domino, *sive* Immediato, *sive* Mediato, consentienti, *sive* etiam invito: *vel* Descendenti, *aut* Agnato Ius succedendi habenti extra Consensum aliorum Liberorum, & Agnatorum, si feudum Novum, nec contemplatione ipsorum datum, aut antiquum hæreditarium fuerit, *refutare* possit. *c. un. II. F. 14. c. un. II. F. 38. & 44.* LUDW. *in Syn. J. F. c. 15. p. 309.* *Ab Autoritate Vasalli pendere Refutationem feudi legitimam.*

2 Quæ REFUTATIO etiam *Remotiori* Agnato, Feudi capaci, & extra Consensum Domini facta adeo procedit, & valida est, ut Dominus Refutatarium de Feudo investire teneatur. MYNSING. *Cent. V. Obs. 65. per tot.* SIVE feudum Ecclesiasticum, *sive* Laicum: ob Generalitatem *Textus 2. F. 38. & 44.*

TEX-

TEXTOR *de Refut. Feud. c. 4. n. 2.* *sive francum, sive Ligium fuerit*, LUDW. *d. Tr. in S. J. F. c. 15. p. 310.*

3 Modo Vasallus TOTUM feudum, non ejus partem refutet. *argt. l. 38. D. de leg. & Fideicom. l. l. t. D. de acquir. & omitt. hæred.* TEXTOR *de Refut. feud. c. 3. n. 4.* Non obstante textu II. F. 38. Quia ibi de Vasallo plurium Dominorum sermo, & respectus est.

§. LXXXVII.

Refutationis Obstacula Remota.

1 Atque huic Refutationi refragari nequit (a) Iuramenti inviolabiliter servandi Obligatio. Etenim *Iuramentum Feudale* ultra durationem possessionis Feudi se non extendit, & ideo vires tamdiu solum habere intelligitur, quamdiu Vasallus Feudum, cujus ratione illud præstitum, possideat, idque non refutet, *argt. II. Feud. 38.* COCCEI *in Iur. Feud. Hypomn. tit. 8. p. 93.* Præterea non omnis Obligatio, sed ea imprimis, quæ in Servitiis consistit, resolvitur; Cæterum verò Refutans Domino, quà honorem, & reverentiam fideliter colendam, obstrictus manet, *d. c. II. F. 38. in fin. l. 18. §. 6. D. de Quæstion.* MYNS. *d. Obs 65. Cent. V.*

2 Neque (b) defectus Consensûs Liberorum, & Agnatorum. Quia quà illam Materiam in ejusmodi Feudis Vasallo liberum disponendi, etiam in præjudicium liberorum & Agnatorum, est Arbitrium. *argt. d. c. II. F. 38.* LUDW. *in S. I. F. p. 311.*

Quemadmodum eàdem ratione Filius feudum noviter acquisitum, quod sub genere *Peculii adventitii* Irregularis venit, invito etiam Patre refutare potest. Quandoquidem talismodi Peculii Ususfructus ad Patrem non transeat. *II. F. 23. circa fin.* TEXTOR. *in cit. Diss. de Refut. feud. c. 2. th. 5. 6.*

§. LXXXVIII.

Refutationis irregularis factum:

1 Et licet Refutatio Feudi *vel* Antiqui *sive* paterni ex Pacto, & providentiâ concessi, *vel* Novi, contemplatione Descendentium, aut Agnatorum dati, absque consensû eorum, quorum interest, *remotiori descendenti vel agnato* omnino validè constitui nequeat: Sed feudum, si pretio interveniente facta sit, ab illis *vel* statim, pretio restituto, ex *Jure Protimiseos* retrahi; MYLER. ab EHRENB. *ad Rumel. ad Aur. Bull. P. 2. Disp. 4. th. 27.* *Vel* eveniente casu successionis tangentis, etiam *nullo refuso pretio* repeti, Jureque revocari possit; *c. 1. § hoc quoque. I. F. 8. & c Titius II. F. 26. c un. V. F. 29.*

2 Firma tamen ista Refutatio subsistit ad vitam non solùm Refutantis, & Liberorum ejus, *c. un. II. F. 45.* HARTM. PISTOR. *lib. 2. P. 1. Qu. 13.* sed & eorum Agnatorum, qui factæ Refutationi *vel* expressâ destinatione, *vel* tacitâ ratihabitione consenserunt, atque *præsentes* & *scientes*, nec contradicentes ipsi interfuerunt. *c. 1. pr. I. F. 8. c. I. §. his verò deficientibus. II. F. 11.* BOCER. *de Iur. & Comm. Senior. lib. 2. c. 6. n 52.*

Regularis Refutationis definitio;

3 NISI Refutatio fiat *intempestivè, dolosè, & illegitimè.* Sicuti enim Feudi Refutatio est Actio Legis, quà Vasallus Feudum possessum *vel* in manus Domini, *vel* Descendenti, *aut* Agnato feudi capaci, sive consentiente, sive invito etiam Domino *liberè, tempestivè, bonâque fide* renunciat, atque cedit, ut nexu feudali liberetur:

5 Ita

5 Ita ea peragi debet *α*) *moderatè*, & tempore opportuno citra præjudicium Domini, in præsenti difficultate versantis. *Fulcra fit α*) *tempestiva.*

6 Veluti illa renunciatio feudi præsertim *Realis*, & *absoluta*, quæ guerrâ imminente in manus Domini fit, tanquam intempestiva ideo non procedit, nec eam Dominus admittere debet; quia tunc Vasallus incipit efficaciter obligari: *II. F. 38. argt.* §. *11. Inst. de Mandat.* BOER. *in Tr. de Custod. Clav. n. 43.* *qt. Realis;*

7 Si tamen *personaliter*, & *relatè* Descendenti, vel Agnato ejusmodi Refutatio facta, & hâc ipsâ à Refutatore æquè idoneus Vasallus ad omnia servitia, & Officia, quæ Prior fecit, præstanda unà cum debitâ à Domino feudi agnitione paratus, substitutus fuerit, illa etiamnum adjuvatur, & ad liberationem à præstatione servitiorum efficax censenda est, quamvis, Domino in procinctu belli existente, intensa fuerit; MYLER. AB EHRENB. *ad Rumel. ad A. B. P. 2. Disp. 4 th. 24.* STRYCK. *in E. J. F. c. 22. qu. 12.* *Limitatio in Personali.*

8 *β*) *bonâ fide*, syncerè, & citra fraudem, & intentionem Dominum offendendi, & lædendi: *c. un. II. F. 38. argt. l. 38. D. de R. V.* RVMELIN. *ad A. B. p. 2. Disp. 4 th. 16.* Et ideo cum eâ cautione, & promissione, quod nunquam Dominum offensurus, sed in pristini beneficii recordatione erga eum unà cum veneratione FIDELIS mansurus sit; SCHRAD. *de feud. P. 8. cap. 1. n. 64.* *β*) *sincera:*

9 *γ*) *Legitimo*, adæquato, & solenni *modo*; ut scilicet Refutatio REALIS, & Absoluta fiat aditione Domini, & cum renunciatione in manibus ipsius declaratâ: ROMAN. *de Feud. c. 13. §. 2.* PERSONALIS verò & Relata, licet invito, & ignorante Domino, atque citra consensum filiorum, & Descendentium perfici possit; *II. F. 38.* HARTM. PISTOR. *lib. 2. Qu. 13.* *γ*) *legalis.*

Regulariter tamen secundum Gradus prærogativam, & successionis Ordinem absolvi debeat, nimirum, ut feudum *antiquum*, sive *paternum* proximis Agnatis, & ex primo acquirente causam succedendi habentibus resignetur, & à Refutatario Investitura intra fatale, *exhibito Refutationis Instrumento*, rite, & decenter, etiam vivente Refutante, imploretur. II. F. II. & 82. Eo enim neglecto, feudum amittitur, MYNS. *Cent. V. Obs. 65. circa fin.*

10 NISI Refutatio fiat Extraneo: Quia hæc simplici alienationi æquiparatur, & proinde prohibita censetur. ROMAN. *de Feud. c. 13. §. 3.* *Exceptio.*

11. Si tamen Consensus Domini, & Agnatorum accedat, ea, sicuti Alienatio, valida est. *Replicatio.*

§. LXXXIX.

1 Autoritatis hujus Vasalli non minima quoque Qualitas, & Efficacia est, quod Domini Directi Proprietatem *eo restringat*, ut ille extra casum *necessitatis* absque Vasalli consensu castrum feudale nec reficere, nec fortificare queat: ROL. A VAL. *II. Cons. 69. n. 3.* *Autoritas Vasalli restringit Dominum Direct.*

2 Inprimis etiam Dominium Directum, invito Vasallo, *plenè alienare*, sive in extraneum transferre haud possit. *c. 1. §. ex eâdem Lege. II. F. 34. & ibi* BARO DE TAUTENBERG. *c. 1. §. præterea Ducatus II. F. 55.* BORCHOLT. *d. tr. de feud. c. 8. n. 136.* CACHERAN. *Cons. 49. n. 7.* *ne feudum muniat. Ne Dominium*

3 Etiam-

Directum alienet: 3 Etiamsi *aut* plurima Vasallorum pars isti alienationi consentiret: Quandoquidem Minoris nolentis, cujus contradictioni standum, Juri integro obesse nequit. NEVIZAN. *Conf. 12. n. 116. inter Conf.* BRUN. MENOCH. *Conf. 264. n. 29. 30.* WURMS. *in Exerc. J. P. c. 7. qu. 7.*

4 *Aut* illud Jus Vasallagii Dominus Feudi in æqualem, *vel* potentiorem, *sive* Majorem transferret, atque hôc modô Conditio Vasalli non fieret deterior. SALYC. *in l. 1. n. 2. C. de Novat.* NATTA *Tom. II. Conf. 367. n. 1. 2. seqq.* VASQV. *in Illustr. Controv. lib. I. c. 5. n. 6.* Quoniam ex paritate rationis æque unicuique Vasallo, uti Domino, ne præter Consensum suum alius Vasallus sibi obtrudatur, plurimùm, maximèque interest, ne ipsi Vasallo invito Dominus mutetur. FRANCISC. BURSAT. *lib. 2. Conf. 127. n. 34. seqq. & n. 40.* PET. HEIG. *I. quæst. 19. n. 13. 14.*

5 Et proinde ejusmodi alienationem irritam esse, atque Vasallum invitum Dominum agnoscere novum, ipsique servitia præstare haud teneri concludunt SCHENCK. *in d. c. 1. §. ex eadem Lege.* ISERNIAS *eod. n. 9. II. F. 34.* ROSENTH. *Cap. IX. Concl. 62. de feud.*

etiam sub mulcta Proprietatis. 6 Imo Dominum ob eam contra Juris Dispositionem simpliciter susceptam alienationem *proprietate Feudi* sui mulctari posse, diversorum multorumque Dd. & Interpr. est opinio: uti cum ALVAROTO *in c. 2. Quo temp. Miles invest. pet. deb.* aliisque statuit CURT. *Jun. Conf. 174. n. 34. & in Tr. de Feud. p. 6. n. 4.* HEIGIUS *Lib. I. Qu. 19. n. 15.* Moti, quod ad paria judicentur in modo Privationis Dominus & Vasallus. *cap. un. Qualit. Dom. propriet. feud. priv. II F. 47.*

Opinio quà Privationem diversa, 7 Dissentit tamen quoad hanc Juris Vasallagii amissionem BALD. in *c. 2. si quis. I. F. 2.* & cùm eo MATTH. de AFFLICT. *in d. c. 2 Quo temp. Miles.* *Baro* SCHENCK. *in c. I. §. ex eadem Lege. de Lege Corr.* judicantes: non semper æquo Jure censeri Dominum, & Vasallum, sed Domini rationem à Vasallo multis in casibus haberi, & reperiri diversam, quos enumerat AFFLICT. *Dec. Neap. 265.*

quà reliqua Communis. 8 Interim verò quoad cætera superior Conclusio crebriori Dd. calculo approbata firmo stat fundamento HARTM. PISTOR. *lib. I. Qu. 15. n. 16.*

9. *Sive* absque Curia, *sive* cum Curia, vel Territorio Dominus *partem* tantùm Feudi *plenè* alienet, reliquâ parte sibi reservatâ. Cum Vasallus invitus in plures Dominos distrahi nequit. *d. c. I. §. prætereà Ducatus. II. F. 55. & c. 1. §. ex eâdem Lege. de Lege Corr.* FELIN. *in c. Dilecti, 13. ad verb. Hominibus invitis. X. de Major. & Obed.*

Exceptio I 10 NISI (1) consuetudine speciali, & legitimè introductâ aliud prævaleat; *argt. d. c. 1. §. ex eadem. II. F. 34. & ibi* ISERN. & AFFLICT. RIPA *lib. 2. Resp. c. 25. n. 17.* CACHERAN. *Conf. 49. n. 25.* MENOCH. *Conf. 264. n. 66. seqq.* BURSAT. *Conf. 160. n 84.*

II 11 NISI (2) Dominus superiori simul Territorialis Jurisdictionis potesta-

te

te emineat, cujus vi laxatam, & liberiorem de re propria disponendi facultatem habet. SOCIN. *Sen. Conf. 4. n. 19. V. 3.* NATTA *Conf. 367. n. 8.*

12 MODO autem Vasallis, aut etiam subditis de non alienando certis, & propriis Pactis conventis non obstrictus sit Dominus, quibus contravenire nequit. CRAVET. *Conf. 241. in resp. ad 5. argt.* *Hujus Replicatio.*

13 Quanquam his etiam non interventis aliàs ejusmodi Alienatio Vasallagii, sive mutatio Domini rariùs, imo extra casum Necessitatis, & justæ causæ vix absque præscitu, & communicatione Vasallorum fieri insolet.

14 Aut NISI (3) Translatio Vasalli, seu Dominii Directi unà cum Universitate Territorii, aut Curiæ, quo Feudum spectat, à Domino in æquè idoneum, sive æqualem Dominum, non autem inferiorem fiat. Curiæ enim sive Territorii *universalem* Alienationem Domino Jure non esse prohibitam, atque ideò Feudum, à Curia promanans *vel* Territorio inhærens, eòque sicuti *Filia ad Matrem* pertinens simul transire, idque absque contradictione Vasalli procedere, adversus contrarium statuentes defendimus cum BALDO *in d. c. 1. §. ex eâdem Lege. de L. Corr.* ISERN. *ib. n. 9. 10. Romanus Conf. 26. in fin.* ALEXANDR. *Conf. 25. n. 21. Vol. V.* NATTA *d. Conf. 367. n. 4. seqq.* ZASIUS *de Feud. P. 7. in fin.* BORCHOLT. *de Feud. c. 8. n. 137.* KLOCK. *Tom. I. Conf. 13. n. 54. 55.* III

15 Quandoquidem plurima cum Universitate *accessoriè* veniant, quæ per se non conceduntur; *L. 1. D. de A. R. D.* Sicuti Jus Patronatus, quod per se tradi nequit, cum Universitate transire potest; *c. pia mentis 26. cau. 16. specialis qu. 7.* Et accessoria, quale respectu Curiæ, & Territorii, Feudum, sui Principalis sequuntur naturam. Cujus libera Alienatio, & Translatio Domino Directo interdicta non est. *Exceptionis Ratio*

16 DUMMODO illa cum Feudo fiat ÆQUALI, & Vasallus ejusdem Conditionis, & Juris apud novum Dominum sit, & maneat, quâ fuit apud priorem. *d. c. I. §. ex eâdem Lege. II. F. 34.* IAC. DE ARDIZONE *de Feud. c. 135. §. merito ergo sicut Vasallus.* *Hujus Replicatio.*

17 *Aut* NISI (4) urgente necessitate, aliâque justa, & gravi causâ v. gr. Remunerationis faciendæ ergô, Dominus Jus, quod in Feudo habet, in æqualem alienet, quod INVITO VASALLO fieri posse, eumque teneri, Dominum NOVUM suscipere, & agnoscere, communis Opinionis receptæ suffragio fulti eo magis existimamus, quo minus Vasallus Domino circa suam rem libere, & licite disponenti contradicere valet. Conf. JAS. *Cons. 227. n. 8. Vol. 2.* NATT. *Tom. II. Cons. 367. n. 14.* VASQU. *Contr. Illustr. lib. I. c. 5. n. 9. 12.* IV

18 DUMMODO hac Domini mutatione Vasallo Jus suum non auferatur, nec conditio ejus deterioretur, aut diminuatur. GABR. *lib. 3. de Jur. Quæst. non soll. Concl. I. n. 13.* *Ejus Replicatio.*

19 *Aut* NISI (5) illa Translatio Vasallagii à Domino tantum fiat per Modum Subinfeudationis, retento sibi Dominio Directo. SIGISMUND LOFFR. *in c. Imperialem §. prætereà Ducatus. II. F. 55.* BURSAT. *Cons. 160. n. 185.* Dissent. tamen VASQUIUS *d. l. n. 3.* V

§. XC.

Autoritati Vasalli agnata singularis Affectio & Privilegium Immunitatis.

1 Cæterum non prætereundum, quod hanc Vasalli, quà talis, Autoritatem illustret etiam EXEMTIO à Tributorum, & publicarum Contributionum Onere, quoad *se*, & *Bona feudalia possessa*, vi cujus Dominus Superior, & Territorii Vasallo, respectu Feudi, ultra nominata, & consueta servitia, nullum aliud Onus Civile, neque tam Ordinariam Indictionem, olim, & vulgo **Steuer, und Bethe**, quam Super-Indictionem, seu Collectam, quæ vel ab Imperatore, & Imperio, vel à Principe, & Statu Jmperii, sive Magistratu vigore Regalium, & Superioritatis requiruntur vulgo **Reichs- wie auch Türcken-Kriegs- und Landt-Steuern**, imponi debet. ARUMÆ. *Jur. Publ. T. V. Dis. 7. c. 2. n. 22.* SCHRAD. *de Feu. P. 10. Sect. 5. n. 112. 115. seqq.* ROSENTH. *in S. J. F. c. V. Concl. 78. n. 2. 3. n. 15* HEIGIUS. *I. Qu. 18 n. 15. 18.*

Ratio I

Ne ipse duplici Onere contra rectam rationem, & Juris prohibitionem prægravetur: *argt. L. Titia. 34. D. de Legat. & Fideicom. II.* MYNS. *Dec. 15. Resp. I. Qu. I. per tot.* CHRISTINÆ. *de Consuet. feud. Dec. 16. n. 5.* Et proinde deterioris conditionis ipsis Subditis, ratione bonorum præcipuè obstrictis, reddatur. COTHMAN. *Cons. II. n. 32.* KNICHEN. *de Vestit. Pact. P. 2. c. 5. n. 26. seqq.*

II

2 Quia illa Immunitas de non solvendis Collectis non gratuitò, sed in remunerationem Onerum servitiorumque personalium Vasallo concessa ideoque respectu causæ onerosæ intelligenda est, ut omnem collectam, etiam extraordinariam, & casu magnæ, & insolitæ necessitatis imponendam comprehendat. NATTA *Cons. 160. n. 35.* MYNSING. *Dec. 15. d. Resp. I. n 6. 7.*

ejus illustratio.

3 Unde etiam casu extremæ necessitatis communis IMPERATOR ROMANVS, Supremus Dominus, ipsis Illustrissimis Vassis, Principibus, & Statibus Imperii Collectas non imperat, neque Comitia & Conventus à Cæsare, collectarum ergò eo fine, & respectu indicuntur, **zu erkennen, ob man einige Hülffe zu thun schuldig wäre, sondern Allem zu berathschlagen, und zu beschliessen, wie und welchermassen die Hülffe nach der Sachen Gestalt, und der Stände Vermögen geschehen möge**, juxta tenorem *Rec. Imp. de Anno* 1512. **zu Trier, und Cölln.** §. 5.

§. XCI.

Vasallorum Imperii distinctio: antiqua;

Sicuti autem ex Feudalis Nomothesiæ Ordine patet, quod Rom-Germanici Regni FEVDATARII olim *vel* REGIS CAPITANEI, propriè, & κατ' ἐξοχὴν sic dicti, utputa, Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates &c. Duces, Marchiones, Comites &c. qui Proceres Imperii; vel VALVASORES, & hi, *aut* MAJORES, aliàs impropriè Capitanei, ideo tamen appellati, quod *illustri nobilitate* conspicui, utpura Vice-Comites, Barones, Equites, Nobiles, qui feuda ab istis capiebant: *aut* MINORES, qui ipsi quoque, licet ignobiles, ex eodem tamen feudo à Valvasore Majore accepto Nobiles, quanquam *Minoris Gradus* fiebant; *aut* etiam MINIMI, seu Valvasini, in quibus hodie idem Jus, quod in Minoribus &

& Majoribus, quâ Feudi possessionem, obtinet, nuncuparentur. *c. I. de his qui feud. dar. poss c. I de Natur. feud. c. I. an Mar. succ. Uxor. in ben. c. I. feud. dat. minim. Valvas.* KOHL. *de Subfeud. cap. IV. n. 48. 49.* VULT. *de Feud. cap. IV. n. 14.* TABOR. *Disp. feud. I. th. 6. p. 55.* I. V. BECHMANN. *in Us. Pr. Feud. Ex. I. n. 7. seqq.*

2 Cui ex Usu, & Formâ Imperii Rom-Germanici quadantenus, & analogicè respondet hodierna Divisio, quâ Vasalli vel IMMEDIATI, vel MEDIATI: Et Isti quidem vel *Majoris*, vel *Mediæ*, vel *Minoris* Dignitatis: Hi autem vel Majores vel Minores vel Minimi sive Sub-Vasalli sibi invicem substituti, seu subalternatim ab alio dependentes sunt, & audiunt: *Hodierna.*

3 Ita res, quoad Vasallos IMMEDIATOS, qui *vel* Status Imperii, sive Jure ordinario Comitiorum eminentes; *vel* solùm Vasalli Imperii, Voto quidem & Sessione carentes, Feuda tamen ab IMPERATORE *vel* Rege Romano, & Imperio tenentes; quos inter referuntur imprimis NOBILES EQVESTRES, Imperio immediatè Subjecti, nimirum *Franconici, Suevici, & Rhenenses*, atque his comprehensi *Wetteravici*, nec non *Westphalici:* die freye unmittelbahre Reichs-Ritterschafft dicti. *R. J. de Ao. 1542. §. 85. & R. J. 1564. §. 29.* SCHUTZ. *in Colleg. Pol. de Stat. Rei Rom. Exerc. 9. Concl. 9.* SIM. GUNTH. *de Priv. Rhen. Nobil. Priv. 4. n. 1.* res, inquam, hodie indubia est, quod *tam* isti Status Imperii, intuitu Personarum, & Domaniorum, sive Bonorum Patrimonialium, & Cameralium, *quam* Hi *Vasalli Imperii* inprimis ratione *sui*, & *Prædiorum Feudalium*, eorumque appertinentium, Imperio immediatè subjectorum, vigore Jurium *antiquissimè quæsitorum*, & Privilegiorum, ab Omnibus *Tributis* & præterea etiam COLLECTIS, Imperatori à Statibus Imperii decretis, immunes sint. *Demonstratio Immunitatis assertæ quà immediatos, præcipue Nobilitatem Equestrem immed. α) à Jure quæsito;*

4 Cum ideo in Matriculâ collectandi non recenseantur: testante *R. I. de Anno* 1500. *§. 46. R. I.* zu Trier und Cölln, *Ao.* 1512. *§.* 27. *R. I. Ao.* 1541. *§. 58. R. I. Ao.* 1544. *§. 33. R. I. Ao.* 1555. *ibi*: Was aber die Freyen von Adel. RUDING. *Cent. IV. Obs. 80. & 81.* BIEDENB. *Qu. Nob. 18. n. 1. seqq.* *β) praxi Communi;*

5 Sed licet exigente necessitatis clamore, publicoque periculo Omnes omnino homines, Clerici, & Laici, Exemti, & Non-Exemti, Imperio Rom. Germanico endoclusi, oneri, & solutioni Collectarum, ab Imperio annutatarum subjiciantur *per R. I. Ao.* 1595. Ipsi tamen ab Imperatore utpote Supremo Domino, adeo foveantur, & suscipiantur, ut ab illis non, nisi casu insolitæ, extremæ, & publicæ *necessitatis*, veluti in *Collectis*, frementis, & *exitiosissimi Martis causâ*, indicendis Imperator duntaxat CHARITATIVUM, sive CHARITATIVAM Collationem requirat, cum eâ expressâ reservatione, publiceque datâ, & promissâ Cautione, daß Ihnen solches an ihren Freyheiten, alten Herkommen, und Gebrauch künfftiglich in alle Wege unvorgreifflich, und unnachtheilig seyn solle; *R. I. Anno* 1544. *§. 33. R. I.* zu Regenspurg *Ao.* 1557. *§. 53. R. I.* zu Augspurg *Ao.* 1566. *§. 49. R. I. Ao.* 1567. *§. 23. R. I Ao.* 1641. *§. 88.* *γ) Exemtione Camereâ;*

6 Considerato scilicet iis Vasallis innexo Onere, geminâque ideo lance æquitatis, & devinctorum servitiorum suspensâ, quibus hi semper paratis defensioni *δ) Onere Servitiorum militarium;*

sioni Imperatoris, Regisque Romani, ut & totius Imperii, atque sanguinis Christiani Patriæque vindicationi suum sanguinem, & vitam militando sacrificant fideliter, so zu Erhaltung Römis. Reichs Ehr, und Würden, auch zu Rettung Christlichen Blutes, und zu Schutz gemeinen Vatterlandes, und Freyheit mit ihren Blutvergiessen ihre treue Hülffe stattlich mitgetheilet, und gethan, und dazu gewidmet seyn, uti memoratur *in alleg. R. I. Ao.* 1500. & *R. I.* 1512. *d.* §. 27.

§. XCII.

porro 1) ab exemtione Jurisdictionis Statuum Imp. 1 Atque hinc est, quod ipsorum Vasallorum Imperii, veluti NOBILITATIS EQUESTRIS *Immediatæ* Bona Feudalia ab omni Jurisdictione Statuum, in quorum Territoriis reperiuntur, adeo exemta habeantur, ut iis à Dominis Territorii, casu etiam Necessitatis Publicæ, *Contributiones* vel *Collectæ*, *tam* Extraordinariæ, *quam* Ordinariæ, multò potiùs Provinciales imponi, nec possint, nec debeant.

2) à Cæsarea Protectione, 2 Ei immunitatis etenim perpetuæ de causâ *datis*, *confirmatis*, *renovatis*, *& declaratis* Nobilitati FRANCONICÆ ab Impp. Ferdinando I. Ao. 1550. Maximiliano II. Ao. 1565. Rudolpho II. Ao. 1609: SUEVICÆ à Rudolpho II. Ao. 1601. Ferdinando II. 1620, & 1624: RHENANÆ à Ferdinando I. Ao. 1542. Carolo V. Ao. 1547. & 1549. Rudolpho II. Ao. 1605. nec non Ferdinando III. Ao. 1630. 1639. 1652. *Privilegiis*, sæpius dehinc Mandata Pœnalia ab Archidicasteriis Cæsareis emanarunt, quibus contravenientes, ne ORDO EQUESTRIS ullo *contribuendi*, sive collectandi munere gravaretur, sed per violentam impressionem ab ipsis extorta confestim restituerentur, unà cum decretâ eorum Actuum, & Factorum infirmatione, & cassamento pulsati fuerunt.

3 Et ideo Cameram Imperialem speciali Imperatoris Oraculo Ao. 1592. de manutenentia Nobilium Equestrium, & Imperii Vasallorum, ne contra eorum libertatem sub prætextu Superioritatis Territorialis pronuncietur, admonitam fuisse refert GYLMAN. *Symp. T. 3. Dec. Cam. Voc. Nobilitas.*

3) & confirmatione; 4 Atque hujus Immunitatis aliorumque Privilegiorum, & Jurium postremæ, novissimæque Confirmationes etiam fulgent in Capitulationibus Cæsareis, LEOPOLDINA, JOSEPHINA, & CAROLINA: Uti ex earum tenore hinc inde perspectum est. Conf. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 29. §. 9. 10-14.*

4) à præsumtionis Territorialis exclusione; 5 Quapropter contra eandem Nobilitatem nec illa Præsumtionis Argumentatio locum invenit, quod Dominus Territorii fundatam habeat Jurisdictionem adversus omnes Territorium incolentes: (licet ea Theorica aliàs in Saxonia, Bavariâ, Marchia, Hassiâ &c. magni valoris) Quia pro iisdem Vasallis Imperii contraria præponderat præsumtio, quod, tanquam Immediati, quoad *Personas*, & *Bona* immunes sint, secundum supra all. *R. I.* Conf. GYLM. *T. I. P. I. Tit. 3. Vot. 7. n. 4. & Tit. 6. n. 56. 57.* KLOCK. *Rel. Cam. 73. n. 5.*

6 Neque illorum Vasallorum Immunitati perpetuæ obest unus, vel alter Actus Jurisdictionis à Domino Territorii exercitus; veluti *Citatio*, *Inhibitio*, aut *Indictio* ipsis facta, vel etiam Nobilis Immediati *comparitio* &c. Quippe ea subjectionem non statim gignere valeat, licet etiam Comparitio *spontanea* fuerit. Cum ejusmodi non Subjectionis, vel agnitæ Jurisdictionis, sed MERI tantùm

tùm HONORIS, & Informationis gratiâ sæpiùs fieri solent. Ex quibus eo minus Jurisdictio præsumenda, quantò magis verum est, quod non præceptum afferti Domini, sed subsecuta *vera Obedientia* probet Jurisdictionem. MATTH. de AFF. *Dec. Neapol. 265. n. 9. 10.* MASCARD. *Concl. 947. n. 4.*

7 Nec etiam Color Præscriptionis Istorum exemtionem dubiam, aut controversam reddere, multò minùs evertere pervalet. Etenim in causis Immunitatis Nobilium destruendæ PRÆSCRIPTIO *Legitima*, *evidens*, *omniumque longissima*, & memoriam Hominum excedens requiritur. ARNIS. *de Jur. Maj. c. 2. n. 6.* BESOLD. *in Thes. Pr. ver.* Ritterschafft. KLOCK. *T. I. Conf. 38. n. 228.*

Ut proinde certi Juris, & Veritatis pervirentis sit, quod Vasalli Immediati quà tales, & eos inter præcipuè Nobiles Equestres ab Onere Collectarum, & Contributionum Imperii quà *Bona Feudalia*, ubique Locorum in Imperio sita, exemti sint, neque iis, etiam *casu necessitatis* & Utilitatis Publicæ, contra Juris Naturalis rationem subjici possint; uti eidem sententiæ post alios adstipulatur BESOLD. *P. V. Cons. 233. n. 92. 94. seqq.* *Decisio quæst.*

8 NISI (1) aliud Provinciæ, *vel* Loci Consuetudo LONGISSIMA induxerit. Quæ tamen non ex simplicis Observantiæ assertione, sed ex rationabili, & sufficienti causa, tacitò Consensu, & Uniformi Usu, Actuum continuorum frequentia, & temporis Legitimi, & immemorialis diuturnitate probanda, & dijudicanda venit; *R. I. Ao. 1551. §. 25. & A. 1566. §. 41* MYNS. *Dec. XII. Resp. I. n. 7. usque 20. & Dec. XIII. Resp. 3. n. 13. seqq.* GAIL. *II. Obs. 52. n. 18. & Obs. 53. n. 5.* GRÆVÆ. *II. Concl. 52 n. 16. seqq.* KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 225. 226.* *Exceptio I de Usu Loci contrario;*

9 *Aut* NISI (2) Vasallus possideat BONA CIVILIA, quæ à Privatis quocunque Titulo acquisita, & oneribus Publicis obnoxia manent; *L. & qui Originem 3. §. 1. & 11.* & *L. Rescripto 6. §. ult. D. de Mun. & Hon.* NATT. *Cons. 460. n. 16. Joh.* BIDEMB. *Qu. 18. 19.* *II de Bonis civilibus.*

§. XCIII.

1 Hæc de Vasallis, & Nobilibus Immediatis. Veruntamen acrior movetur Quæstio de VASALLIS MEDIATIS, qui Feuda à Principibus, & Statibus Imperii Rom. Germanici accipiunt, & recognoscunt, atque ideo *Mediate* imperio subjecti, in Provinciis Imperii, sive Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, vel Dynastiis, in quibus habitant, aut res illas Feudales possident, Principes, Duces, & Dynastas, DOMINOS suos agnoscunt, eosque salutant: Ihre Landes Fürsten, Landes Obrigkeit, und gnädige Herren; & ab his appellitantur: Liebe Getreue alias Personæ Jurisdictionales, quibus in Omnibus mandari, & imperari potest, & in Genere LANDSASSII, qui in, & de Territorio sunt, & Ordinem Provinciæ præcipium repræsentantes, Germ. Die Adeliche Landt Stände; BESOLD. *d. Cons. 233. n. 12. seqq.* IN SPECIE vero *vel Schriffsassii*, Cantzley- und Schrifftsassen, qui ratione Feudi Principi, aut Statui *immediatè*, *vel Ambtsassii*, qui Præfecturis, & Toparchis, atque illi MEDIATE subjiciuntur, vocati: Quibus præterea adnumerantur *Stadsassii*, qui in, & sub Civitatibus Imperialibus, vel Hanseaticis domicilia sua tenent, vel ab eorum Magistratibus feuda recognoscunt, Schriffsassiis fere æquipollentes: de quibus DRACO *in erud. Tr. de Orig. & Jur. Patric.* *An Immunitas spectet etiam ad Vasallos Mediatos, in spec. Nobiles Equestres Mediatos? Eorum descriptio; Divisio;*

2 Cu-

Sedes. 2 Cujus istius Landsassiatûs sedes Originaria in *Austria*, *Saxonia*, *Bavariâ*, *Marchia*, *Palatinatu Superiori*, *Hassia*, *Westphalia*, & alibi præcipue adhuc viget. Conf. MEISCHN. *T. 2. p. 2. Dec. 8. n. 30. 40. seqq.* KNIECH. *de subl. terr. Jur. cap. 3. n. 314.* RUDING. *Sing. Obs. Cent. 3. Obs. 27.*

Opinio contraria; ejus colores. 3 Equidem hinc diversorum Dd. est sententia, quod intuitu Subjectionis Vasalli MEDIATI ab onere *contribuendi*, & *collectandi* exemti non sint, sed illis ratione Personæ, & eorum Bonorum Mobilium, & Immobilium Principes, & Status Imperii Collectas, & Contributiones *vigore Regalium* promiscuè imponere possint, & debeant, fulti Constitutionibus Imperii suprà allegatis *Ao. 1495. Ao. 1530. §. 118. Ao. 1548. Ao. 1551. Ao. 1557 §. 48, 49. Ao. 1566. §. 41. Ao. 1582. §. 20.* Quoniam Vasalli similes sint Usufructuariis, qui Indictionis, & Superindictionis sarcinam sustinere coguntur. *L. si pendentes 27. §. si quid. 3. D. de Usufr.* H. PISTOR *lib. I. Quæst. 46. n. 33.* Et illa Nobilium, & Vasallorum attributa Exemtio juxta Dispotionem Juris Justinianei tantum quoad *Personas* non autem de Muneribus Patrimonialibus, sive Collectis intelligenda sit; *L. sunt Munera 11. D. de Vacat. & Excus. Mun.* KLOCK. *T. I. Cons. 18. n. 300. & 310. seqq.*

adjecta ratio limitata. 4 Cui Alii *Limitationem* adjiciunt, quod licet ab *Ordinariis*, non tamen ab *Extraordinariis* Collectis exemti sint; JAC. de GEORG. *in Tr. de Homag. Gl. I. n. 36.* GILHAVS. *de Arbitr. Jud. Civ. P. I. de Jurisd. c. I n. 4.* Præsertim casu occurrentis *Necessitatis*, & Utilitatis Publicæ, quæ cuilibet Privilegio præferenda, MYNS. *Cent. 4. Obs. 70.*

§. XCIV.

Sententiæ affirm defensio, & Confirmatio 1 Sed Rei hujus Conditione, Æquitatis Voce, & Juris applicatione penitius inspectâ, eorum Cynosuram Sectantes ab eâ Assertione, quam de Exemtione *Vasallorum*, qua TALIUM, supra statuimus, etiam quà MEDIATOS vix, imò recedendum haut est. *per text. L. Et qui Originem. 3. §. 1. de Mun. & Hon.* Quum eadem Ratio in Vasallis, & Nobilibus Equestribus Mediatis, quæ in Immediatis obtinet.

a) *Dubiorum Resolutione* 2 Ac licet quoad *Dominum* SUPREMUM, cujus Majestatem Immediati adorant; & STATUS *Imperii*, Cæsare quidem Inferiores, quos Isti venerantur, aliqua intercedat Differentia; atque Nobiles *Immediati* quibusdam *Eminentiis* præfulgeant, gaudeantque *Regalibus*, veluti Jurisdictione ECCLESIASTICA, Paceque Religionis, juxta & *Potestate* GLADII, sive *Mero*, & *Mixto* IMPERIO; *R. I. de Ao. 1555. §.* Und in solchen Frieden. *Ordin. Cam. P. 2. Tit. 5. Instr.* PAC. SUEC. *Art. 5. §. 10. 28.* OLDENB. *Limn. Enucl. lib. 3. c. 29. §. 6. Henr.* HORN. *in Disp. an Nob. gaud. Super Territ. Chr.* WIDEM. *in Discurs. Jur. Pub. de Civ. Nob. Stat. eor. Jur. & Privil.* nec non *Jure* COLLECTANDI *Rec. Ao. 1612. §. 27. & 36. Ao. 1552. verb.* Gestalten dann zu desto ꝛc. & *Privilegio* AUSTREGARUM. *Ord. Cam. lib. II. Tit. 3. & 4.* Similiter Jure ARCHIVI; FOEDERA cum aliis pangendi; DIÆTAS, & *Concilia*, Ritter-Tâge, inter Se liberè instituendi; it LEGATOS mittendi; Conf. STRYKK. *de Succ. ab Intest. Diss. 8. c. 8.* præterea *Banno* FERINO, Wildt-Bahn, aliisque, proinde *Superioritate* hinc ipsis adstruenda Territoriali; BURGOLD. *ad Instr. ac. P. I. Disc. 22. §. 5.* Quippe Corpus

pus Equestre Immediatum, instar Reipubl., constituentes, Magistratum, sive Senatum Equestrem; nimirum Directores, Hauptmann, Ausschuß, und Ritter-Rath, agnoscentes, ideo respectu Illius à quibusdam Politicis pro *Statibus Imperii* (sensu tamen lato) habeantur, vigore *R. I. Ao.* 1634. *§. 32.* ibi die Gan-Erben, CARPZ. *ad L. Reg. Cap. 3. Sect. 12.* BESOLD. *de Ord. Equ. n. 1.* Ipsisque à quibusdam tribuatur προεδρία ante Civitates Imperiales, eorumque Subjectos Nobiles Patritios; FRITZSCH. *in El. Jur. Publ.* (Quibus Nobilibus Equestribus tamen, etsi Comitibus, Status Imperii non existentibus, Capitulatione LEOPOLDINA teste §. 46. comparentur, Legati dictarum Civitatum in Publico Principum Conventu cedere contradixerunt, suamque juxta Comites & Barones *immediatam Sessionem*, non attentâ Nobilium Equitum Protestatione, obtinuerunt, attestante ex publicis Diætarum Actis OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. cap. 29. §. 4. 5. 8.)* ut hinc ob insignia ab Imperatoribus ipsis concessa Privilegia priores partes quoad *Universitatem* præ Mediatis habere videantur:

3 Attamen his, & aliis Omnibus Formalitas & Conditio Rei præsentis quâ Feudorum à Collectis, & Contributionibus EXEMTIONEM minimè alteratur, sed sicuti RATIONE SINGULORUM *Nobilium* UTRIQUE Immediati, & Mediati in pari Dignitatis Gradu constituti sunt, &, quod ISTI *Nobiles Equestres* Vasalli Imperii facti, & quibusdam Privilegiis aucti; Hi vero, Landsassii, sub Principum, & Statuum Dominio permansêre, Ordinem Nobilitatis Equestris non mutat;

4 Siquidem Utraque ex Unico eodem Fonte Cæsareo manat, & derivatur, b) atque ideo Immediati in eadem Nobilitatis Classe cum Mediatis comprehenduntur, nec altiorem Nobilitatis Gradum sibi vindicare queunt, sed Utrique Nobiles sui Generis Claritatem tam Generosæ Prosapiæ, & Progenitorum Virtutibus, quàm suis Rebus laudabiliter gestis acceptis referunt: RATIONE vero FIDELITATIS, & Servitiorum paratissimorum, quæ propter Feuda possessa, *de quibus hic Quæstio est*, Dominis suis UTRAQUE Nobilitas Equestris, *tam* Immediata, *quàm* Mediata quocunque tempore, & Loco præstare debet, inter ipsos nulla est disparitas, sed una Rei conditio, una æquitas, unum Jus:

b) *à paritate Originis, & dignitatis;*

5 Ita hinc pronè ratiocinandum est, quod, quâ proportione & Justitiâ Imperator se gerit erga Vasallos Imperii, Nobilesque Immediatos quoad eorum Immunitatis, Privilegiorum, Juriumque Conservationem, & Protectionem, eundem Typum quilibet Princeps, & Status Imperii in considerandis, & tractandis Vasallis suis, & Nobilibus Mediatis sequi, & tenere debet propter identitatem Rationis in Legibus, & Imperii Constitutionibus fundatæ manifestam conf. CÆPOLL. *in Tr. de Imp. Mili. delig. §. Nobilitatis etiam. n. 39.* ROL. A VALLE *T. 4. Consf. 40. n. 36.* MYNSING. *Dec. XI. Resp. 7. n. 31. & Dec. XV. Resp. 1. n. 21. seqq. & Cent. IV. Obs. 91.*

c) *ab æqua Jurium competentia;*

6 Atqui Vasalli Mediati cujuscunque Generis, qui ratione Feudorum eòdem modo, quò Vasalli Immediati, certo jam, & definito Oneri, veluti Servitiis, quolibet casu, & tempore indicendis, & Principi, vel Statui, uti Domino Directo, & Superiori, præcisè & exactissimè præstandis *singulariter* mancipati, & eapropter prædestinati sunt, ut iis non solùm tempore PACIS, & omnimodâ Honoris & Obsequii exhibendi occasione interpellatis fideliter præstò adsint, sed & in Necessitatibus BELLI quibuscunque ad Domini, ejusque vitæ, corporis,

d) *ab onerum militarium æqualitate,*

ris, famæ, bonorum, & totius Imperii, & Provinciæ tuitionem, Patriæque & incolarum conservationem omnibus Martis periculis, & Conflictibus vitam, & sanguinem suum exponant, atque litent, eaque Servitia Militaria propriis etiam sumtibus Domino, interdum quoque non interpellati, exhibere teneantur; JUL. CLAR. *in §. feudum. Qu. 21. n. 1. & ibi* HIERON. GIACH. *in Addit.* KLOCK. *T. I. Consil. 10. n. 524. seqq.*

e) à servitiorum sanguinantium prævalenti præstantia;

7 Hæc æquâ lance merito ponderanda. Annon ista Servitia, quibus Vasallorum Majores pro Domino, & Patriâ dimicantes multum sanguinis effudêrunt, & illorum Successorum Fidelium sanguis etiam nunc ad Defensionem Domini, Provinciæ, & Imperii profundendus obligatus est, longè majora istis Collectis, atque omni ære Subditorum, & Incolarum judicanda sint: Cum Vita & Sanguis Hominum, quid ni Generosorum, & Nobilium, res inæstimabilis, qui nullo æris acervo, & Auri, nullo pretio, nullis collectis, & Contributionibus, etiam acerbissimis, æquandus, vel compensandus est.

f) ab iniquitate duplicandi Oneris;

8 Nonne igitur summæ Injuriæ acorem res conciperet, cum ex summo Jure, quod casu Necessitatis Publicæ nemo à Collectis Imperii, vel Provinciæ excipiendus sit; Vasallo, his grandibus servitiis jam onerato, simul Collectæ, vel Contributiones Ordinariæ, aut Extraordinariæ imponi deberent, ipseque DUPLICI ita sarcinâ enervaretur: Cui tamen magis subveniendum, ut ipsi non deficerent sumtus, quibus militiam sequi, & pro Domino & Patriâ eò instructior, & fortior cum Hostibus cernere posset.

g) ab æquitatis proportionandæ dictamine;

9 Proinde hic in tam arduâ re illa Æquitas, rigori anteponenda, quæ Cæsarem, & Imperium, ut Nobilitati Equestri Immediatæ Immunitatem, & Nervum ad Militiam, Imperii defendendi causâ præstandam, non imminuerent, permovit, pro Vasallis Mediatis quoque intercedit, perpetuoque valet, ut eorum à quibuslibet Indictionibus, & Collectis, *quâ se & Feuda sua*, competens IMMUNITAS casu etiam Necessitatis, Imperio vel Provinciæ obvenientis, consideretur.

& legis publicæ obligatione;

10 Quoniam ipsam publicam Necessitatem Vasalli adeunt, & periculo Belli suam vitam, fructusque Feudi ad sublevandos sumtus Militiæ subeundæ obsequiosè, & fideliter committunt, & relictis, Uxore, Liberis, Omnibusque Bonis suis pro Domino, & Patria cum Hoste collatis signis depugnant.

h) ab Origine & fine feudorum;

11 Etenim ex hac eâdemque causa prægnanti, & parato Auxilio, ipsi Necessitati serviente, Origo Immunitatis, Feudis, & eorum Possessoribus quæsitæ, retundat. Siquidem, uti superioribus demonstravimus ex publica Necessitate Militia, ex Militiâ Feuda, ex Feudis Nobilitas, atque ex his necessariò Immunitas seu Exemtio à Triburis, & Collectis, Militibus, Nobilibus Feudis, & Vasallis acquisita, & adnata fuit:

i) à quæsita Immunitatis feudis competentis Generalitate;

12 Cum enim prævisa, & urgente Necessitate Publicâ Robur, & Consolidamentum Imperii in potentia bellica, & milite præsidiario perpetuo, quem illa præsupponit, Cæsares, & Reges sapienter Iocarunt, & ideo certa Bona & Prædia Militibus destinarent, iisque, qui virtute Achilleâ præstiterunt, cum Honoribus eo fine & nexu Feudali concederent, ut Belli necessitate ARMIS & EQUIS serviendo, & adversus hostem pro Domino, Imperio & Patria confligendo adessent: Idcirco *Opus* etiam *Belli* sequendi, *Ordini* Militari & *Equestri* injunctum, Feudis, & Vasallis ab initio semper adeo incubuit, ut omni ingruentis Hosti-

Hostilitatis Occasione MILITES, & NOBILES unicè fere *bello* interessent. Sicuti Marte exardescente hodieque Vasalli, & Nobiles armis, & Equis instructi, Domino fideles suppetias ferentes, militando serviunt.

3 Atque hinc paritas Rationis satis elucescit, quod Jus Immunitatis, ab Origine Feudis ex Jure Militiæ innatum, & acquisitum, Vasallis, & *Nobilibus* MEDIATIS *eádem formâ*, & modô, quô *Immediatis*, competat, ut illud prætextu Superioritatis Territorialis, iis invitis, haud imminui, multò minus citra injuriam auferri possit; consequenter durum, & æquitati contrarium videatur, si Vasallis & Feudis, oneri Necessitatis Bellicæ dedicatis, citra eorum immunitatem, Majorum sanguine partam, *tributa, vel Collectæ*, imponerentur. GVID. PAP. *Dec. 169. & 387.* HIPP. a TREISB. *in Tr. de Priv. Ord. Equ.* BVRG. *ad Instr. Pac. P. I. Disc. 23. §. 3.* OLDEND. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 27. §. 3.*

§. XCV.

1 Et sicuti porro differentia inter Vasallos, & Cives, vel Municipes, aliosque in Territorio incolas Subditos abunde liquet; WESENB. *Conf. I. n. 57.* GAIL. *de Pign. Obs. 15. n. 3.* ROSENTH. C. 5. Concl. 75. de Feud. k) *à differentia inter Bona Civitatensia & Feudalia;*

Quandoquidem his Subditis, *olim* communiter LEUDES, sive Leodes dictis, notanter, & in specie *Censui*, contemplatione rerum patrimonialium, *Mobilium, & Immobilium*, obnoxiis, als Schatzungs-Pflichtiegen, Tributa, & Collectæ, utpote *Munera* MIXTA solùm indicuntur, & imponi possunt; *L. 1. C. de Mun. Patrimon. R. I. Ao* 1530. *§. 118.* FELIN. *Conf. 46. n. 8. 9. seqq.* GAIL. *II. Obs. 52. n. 9. 10. 13.* CACHER. *Conf. 9. n. 18.* FICHARD. *Vol. 3. Conf. 47. n. 4. 10.*

3 Vasalli è contra ratione Feudorum possessorum, licet in, & sub Territorio, ubi Collecta exigitur, comprehensorum, ad solutionem Contributionum, & Collectarum eò minus obligati esse possunt, quo magis illa Feuda non Vasallorum, sed *Dominorum Bona propria*; quæ ideo in Æstima, & Libros Censuales, sicuti Subditorum fortunæ, nunquam deferri solita, neque deferenda, *per L. Privatæ 10. & L. pen. C. de Excus. Mun. L. ult. C. de Privil. Dom. Aug.* HEIG. *I. Qu. 18. n. 5. seqq.* adeoque eorum immunitate à Domino Territorii in deteriorem conditionem Vasallorum, iis invitis, haud privanda sunt.

4 Præsertim cum ex interventu Feudalis Contractus, b. f. initi, Obligatio Vasalli præter vinculum fidelitatis, & servitiorum feudalium *aliis Oneribus* Subditorum non est implicata. l) *ex contractûs feudalis determinatione limitata;*

5 Et prætereà illa Emolumenta QVÆSTUS *Communis*, quæ Cives, & alii incolæ subditi non militantes, quorum gratiâ his Collectæ imponi insolent, quotidie percipiunt, Vasallis non subveniunt: Quibus cessantibus, tanquam causâ, etiam Effectus, nimirum impositio Collectarum cessare debet. NATTA *Conf. 157. n. 5. & Conf. 160. n. 35.* Quoniam Vasalli nihilominus Onera militaria, necessitati bellicæ serviendo, sub privatione Honoris, & Bonorum Feudalium sustinere debent. MOD. PISTOR. *Conf. 9. n. 43. Vol. 2.* ROSENTH. *C. VI. Concl. 57. circa fin.* m) *à quæstus Communis in Vasallis cessatione;*

6 Ita omnino concludendum est, quod Vasalli etiam Mediati, quà Feuda, de quibus ad Servitia, & Fidelitatis Munia obeunda obstricti sunt, à Contributionibus, & Collectis immunes sint & esse debeant. HEIG. *d. Qu. 18.* OLDENB. *in Limn. Enuc. lib. 3. c. 30. §. 8.* *Illatio.*

 7 Non

adversæ Opin. Olmotorum Refutatio.

I

7 Non enim obstant Adversæ Sententiæ rationes supra §. 93. recitatæ. Namque illorum Recessuum & Constitutionum Imperialium Ambitus Generalis Omnes quidem Imperii, & Provinciarum, Statuumque Subditos, qui Oneri Martis ad Militaria servitia præstanda non addicti, comprehendit, veruntamen ISTARUM *respectus* quoad ipsos VASALLOS *specialis, & singularissimus* est, ut ipsorum subsidium, salvô ipsis aliàs competente Immunitatis Jure, non aliter requirat, quàm casu extremæ, ancipitis, & duplicis Necessitatis concurrentis Publicæ, ubi Vasalli non tantùm Domino, Imperio, & Patriæ servitium Defensionis militare, sed & sibi ipsis auxilium debent, atque suæ Domui, & familiæ, suisque Bonis feudalibus à præsentissimâ Hostium invasione, exitio Libertatis, periculo Captivitatis, Conflagrationis, & Desolationis Universalis, imo ipso vitæ interitu liberandis succurrere, Remediaque exacta ad- & conjungere tenentur. Uti ex dictarum Constitutionum, quæ de Extra-Ordinariis Imperii Collectis latæ, tenore patet, ita, ut extra hunc casum Vasalli ad nullum aliud Subsidium, vel Collectam obligati sint.

II Ex quo hinc *Altera* etiam cadit ab *Usufructuario* desumta Ratio adversa, quod licet Dominium Utile Usumfructum complectatur, magna tamen inter hunc, & illud, inter *Usufructuarium*, & *Vasallum*, ratione FIDELITATIS, & servitiorum Domino præstandorum, nec non MODI *habendi*, & acquirendi, aliorumque sit discrepantia, ita, ut Argumentum ab illo ad Hunc quoad Indictionem, & Collectas Publicas Vasallo imponendas ob rationis utrinque inadæquatæ evidentiam plane invalidum & nullum sit. HOTM. *in Disp. Feud. c. 4. lit. C. D.* ROSENTH. *C. I. concl. XI. n. 3. de feud.*

III Eôdem modô ruit Tertia Opinionis adversæ Ratio, nullo ariete opus habens; Cum ex superiore Demonstratione satis superque expeditum est, quod Immunitas Feudis, tanquam Bonis militiæ destinatis, Principali Privilegio ab Origine eorum constituta, Jureque acquisita sit, ideòque eorum Possessoribus, seu Vasallis, & Nobilibus non tantùm quoad Personam suam, sed & quoad ipsa Feuda possessa Jure Militari competere, ipsisque invitis, nec diminui, aut tolli, sed illæsa manere debeat. GAIL. *de Arr. c. 8. n. 12. c. 10. n. 7.* Quoniam liber à causa etiam liber ab Effectu esse dignoscitur. KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 199.* Atque hinc Contrariæ Opinioni EO MINUS colorem addere queat allegata Lex: *sunt munera 11. D. de* Vac. & & Excus. Mun; QUO MAGIS hâc lege Prædia illa, quibus Excusatio Muneris, h. e. Immunitas, Principali Privilegio concessa, expresse excipiuntur. Ejusmodi autem Prædia Privilegiata nihil aliud sunt, quam posthinc Beneficia Cæsarum, & Regum introducta, Militiæque mancipata Feuda, quæ Excusationem à Muneribus, sive JUS IMMUNITATIS tam Principali Privilegio indultum, quam Jure Militiæ quæsitum, & eôdem modô, quo DOMINUS Jus VASALLAGII in iis sibi perpetuo competentis, radicatum habent.

Quæstionis quà Mediatos Vasallos Decisio aff.

8 Ergo tantò magis ex his jam *exploratam* VERITATEM supra propositæ *Assertionis* proliquere cernitur, quod VASALLI quoque MEDIATI *Jure Immunitatis in- & adnato tam* quoad Personam, QUAM quoad Feuda possessa gaudentes à Domino Superiori, atque Territoriali præter Servitia Militaria Contributionibus, Indictionibus, & Superindictionibus, sive Collectis, quæ *propriis Subditis* Censuique, ratione Patrimonii, subjectis communiter aliàs injunguntur, etiam

etiam casu Necessitatis contra Naturalis æquitatis, & Contractûs Feudalis Legem & rationem nec *dupliciter* onerari, nec ad earum solutionem cogi possint, aut debeant, *argt. R. I. Ao. 1512. §. 27. & 36. R. I. Ao. 1643. §. 26.* MYNS. *Dec. VII. Resp. 46. n. 50. & Dec. XV. Resp. 12. n. 3. 5. 6.*

9 NISI I in casu, ut jam supra monitum, extremæ, & ancipitis Necessitatis, & Utilitatis Publicæ, utpote *Famis Communis*, aut *Belli* ingruentis TURCICI; ubi præsentissima Hostis infensi potentia, & periculosissimus ejus fremitus, atque Minæ non tantum Dominum, totumque Territorium, sed & ipsos Vasallos, suæ, & suorum vitæ, Corporis, Honoris, & Bonorum liberationem, tuitionem, & conservationem concernit. BURSAT. *lib. I. Cons. 16. n. 63. 71.* *Exceptio* I *in casu extrema, & duplicis Necessitatis.*

10 Etenim, si quis ex diversis causis, & Obligationibus aliquid præstare tenetur, ad DUPLICEM quoque præstationem, & Onus obligatus esse censetur. NATTA *Cons. 114. n. 13.* HEIG. *P. I. Qu. 18. n. 23. 26. 36.* CARPZ. *lib. 4. Resp. 71.* Quod præsertim eò casu in hisdem Vasallis ideo etiam valere videtur, cum eorum subsidium, præviâ Rei in Diæta Provinciali ipsis factâ Propositione, more solito requisitum, & de eo cum ipsis, tanquam *Statu Provinciæ præstantiori* conventum fuerit; exemplo Nobilitatis immediatæ, quæ quidem neque in *Matriculâ* comprehensa, neque ad certam Pecuniæ summam in Imperio, Collectarum nomine, solvendam obligata, sondern wird mit selbigen auf ein gewisses Subsidium tractiret; *d. R. I. Ao.* 1512. *add. R. I.* 1544. §. *33. Ao.* 1557. §. *53. Ao.* 1566. *§. 49. Ao.* 1570. *§. 23.*

11 Cujus tamen tanquam extraordinarii, & singularis solutio neque *horum*, neque *illorum* Mediatorum Vasallorum Immunitatem, aliaque Privilegia immutat, nec ullo præjudicio afficit. Quoniam Bona Nobilium Feudalia nihilominus immunia manent. MYNS. *l. c.* BIEDENB. *Qu. nob. 13.* Imprimis, cum in continua Possessione ejus Immunitatis Vasalli, quâ Feuda, semper fuerunt, contra quam, utpote immemorialem, & Observantiam antiquam, neque gravandi, neque Civibus, & aliis Subditis æquandi, sed magis in eâ, ob illorum Militaria servitia Imperio, Patriæque saluberrima, manutenenda sint. KLOCK. *T. 2. Cons. 85. n. 35. de Contrib. c. 1. n. 214. seqq.* MEV. *P. 3. Dec. 101.*

12 NISI II Casus valde insolitus, omnino rarò, imo nunquam verosimiliter opinatus, atque necopinæ Necessitatis, ejusque difficillimæ conditio talis sit ut *non servitiis* Militaribus, sed *tantùm* PECUNIA ei resisti, & communis Calamitas, totaleque exitium averti possit. Veluti in subitâ Contributione Hosti pro redimendâ Villarum, & ædificiorum Universali deflagratione, aut Principe captivo liberando. Ubi enim Servitia Militaria ob Hostis præpotentiam applicari nequeunt, & Domino ejusque vitæ, Honori, libertati, Bonis, & Patriæ non aliter, quàm PECUNIA serviri, & suppetias ferri possunt, ibi Levamine Extraordinariæ Collectæ, *eo fine requisitæ*, & *servitiis* CONGRUÆ subveniendum esse ipsa Rei, æquitatis, & fidelitatis ratio jubet; NATTA *Cons. 114. n. 13. T. 1.* & *Cons. 380. n. 4. T. II.* MYNS. *Dec. 15. Resp. 12. n. 8. 9. 10. 11. seqq.* KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 309.* *Except.* II *in casu plane insolito & rarissimo:*

13 *Aut* III NISI ob imminens Belli periculum, & Potestatem Vicini formidabilem, ejusque timendam invasionem Publicæ Securitati, quæ ipsius Vasalli, & suorum Bonorum, Uxoris, & Liberorum Protectionem omninò necessariam *Except.* III *in casu publicæ Protectionis,*

 spe-

ipsi Vasallo ejusque bonis necessariæ.

spectat, etiam *tempore* PACIS providendum sit. Veluti singularissimè *in specialibus* impensaram ad Præsidium, & sustentationem MVNIMENTORVM, & *Fortalitiorum*, in Provinciis Statuum Imperii necessariorum, *subsidiis*, iisque *moderatis* à Landsassiis, Civibus, & Subditis pro viribus eorum, & uti necessitas, & æquitas impetrat, Domino Territorii præstandis Decreto Comitiali, & Sanctione Pragmatici cautum reperitur, *R. I. Ao.* 1555. §. Nachdem aber. *& Ao.* 1654. §. Und gleichwie dieses. *130. in fin. Cap. CÆS. LEOP. I. §. 3. CÆS. Declar. Ao.* 1670 *sup. d.* §. Und gleichwie dieses. *R. I.* 1654. *add. L. per provincias. ibi: cunctis. C. de ædific. priv. l. 10. C. de S. S. Eccles. l. 2. C. de Nav. non excus. l. ad portus. 7. & l. omnes. 12. C. de Oper. pub.* LAUD. *tr. de Castell. qu. 8.* KNIPSCH. *de Civ. Imp. lib. II. c. 22.* MENOCH. *cons. 156. n. 7.* BECHT. *Diss. de Secur. c. 3. concl. 50.* STRYCK. *in Diss. de Fortalit. c. 5.*

Except. IV in consuetudine vel conventione Provinciæ Universali contrariâ.

14 *Aut* IV NISI etiam Usus, & Practica Loci, & Provinciæ, immemorialis Præscriptio, aut Conventio Collegialis, & totius Corporis aliud præcipiat. Sicuti enim in Materiâ Collectarum Consuetudo, & Statuta Locorum maximi momenti sunt; PEREGR. *cons. 102. n. 11. Vol. I.* NATTA *cons. 406. n. 24. 25.* & tanquam Regina Civitatis, quæ Civibus facienda, & non-facienda præscribit, attendenda veniunt; BVRSAT. *cons. 186. n. 11. 12. & ibi alleg. Dd. plurim.*

Ita illis tamdiu insistendum, quousque contrarium probetur; GAIL. *II. obs. 52. n. 18. & ibi* GRÆVÆ. CARPZ. *lib. 4. tit. 10. Resp. 70. n. 21.* Quia solutiones Collectarum continuæ quasi possessionem, & præscriptionem inducunt. *text. c. Querelam. 24. X. de Elect.* NATTA *cons. 204. n. 6. & per tot. Vol. I.*

15 Quæ tamen Consuetudo & Præscriptio legitimis Requisitis munita esse debet. Aliàs enim *Corpori* Nobilitatis, *aut Minori* ejus Parti, *imo singulis* non nocet, quamvis Unus, vel alter, aut major Pars Vasallorum in Provincia, sive Regione Privilegium Immunitatis neglexissent, aut ab eo recessissent. Quia id, quod omnes tangit, ab Omnibus, præsertim in Quæstione præjudiciali de infringenda libertate approbari debet. *L. Sabinus. 28. D. comm. div. c. quod Omnes 29. de R. I. in 6to. l. 11. D. de Servit. Præd. Rust.* & ibi BRUNN. CRESP. de VALDAVR. *in Obs. Decision. Illustr. Obs. 112. n. 10. seqq.*

16 Præterea etiam statutum, quantumcunque Generaliter disponens, semper tamen cum ea restrictione intelligendum est, ne aliquis indebitè damnum patiatur, NATTA *cons. 157. n. 12.*

§. XCVI.

Exceptionum Replicatio I de inopia & levidensi feudo Vasalli;

1 Limitandæ tamen præmissæ Exceptiones in eo sunt; MODO (*a*) Vasallus ipse non egeat, aut opibus non satis firmus sit, quæ vix ad ejus, suorumque alimentationem, ac instructionem armatam pro Equestribus Servitiis faciendis sufficiunt. Illô enim casu ab extraordinario Subsidio, omnique Collectâ Vasallus, quoniam alimenta, & præstationes Servitiorum Feudalium, tanquam *potiorum*, Collectas, & alias præstationes Extraordinarias præcedunt, Jure meritoque excusatur, & vacare, nec iis onerari debet: *argt. R. I. de Ao. 1582. §. 10. R. I. Ao. 1643. §. 24. R. I. Ao. 1644. §. 66.*

II

2. MODO (*b*) Præscriptio Immemorialis, & Possessio vel qs. Libertatis, quocunque necessitatis inopinatæ, & extremæ, nec non securitatis publicæ casu, non contribuendi, antiqua Vasallum non præmuniat. Omnimodam enim à qui-

quibuscunque Ordinariis, & Extraordinariis Subsidiis, Collectis & præstationibus Publicis Immunitatem, sicuti & Jurisdictionem, & Regalia, legitimô tempore 40. vel 30. annorum elapso, præscribi posse, Jure, & praxi Communi comprobatum est *l. si scimus. 22. §. 1. C. de Agric. & Censit. l. Omnes. 4. C. de Præscript. 30. & 40. ann.*

3 Et tanto magis quidem, si ea Præscriptio justis, & solemnibus Requisitis columnata, & in illô spatiô Legali, quod à Die Requisitionis, & insecutæ Denegationis, sive Contradictionis decursum, radicata sit; cujus sententiæ Promachi sunt ALEX. *conf. 136. n. 19. Vol. 2.* RIMINALD. *Sen. conf. 31. n. 52.* KLOCK. *Vol. I. conf. 38. n. 230. 231. seqq.* *tam stricta*

4 Verùm etiam eam Exemtionem plenissimam & perpetuam solùm lapsu temporis 40. annorum, cujus in contrarium memoria non extat, licet interim nec interpellatio, neque recusatio, aut contradictio earum præstationum publicarum intervenerit, MODO tantùm casus, quo collecta, seu subsidium publicum extraordinarium, vel singulare exigi potuit, sive aliis imposita fuit, & solventibus cæteris quidam non solverint, occurrerit, acquiri posse ex communiore Opinione adversus priorem statuere non veremur. MENOCH. *conf. 75. n. 8.* BURSAT. *lib. 1. conf. 16. n. 40. 41.* LAUR. SYLV. *conf. 57. n. 15. & conf. 59. n. 9.* NATTA *conf. 649. n. 3. 4. 5. 6.* CRAVETTA *conf. 3.* MYNSING. *Dec. 15. Resp. I. qu. 2.* D. JOH. FICHARDUS *T. 2. conf. 145. n. 5.* Quippe ejusmodi temporis absoluti, & præscriptivi eam esse efficaciam, ut instar Constituti, Privilegii, & specialissimæ concessionis valeat, confirmant post alios RUIN. *conf. 118. n. 8.* GOZADIN. *conf. 8. n. 37.* *quàm lata*

5 Adeo, ut eo casu allegans, se præscripsisse immunitatem Collectarum, non teneatur probare, se non solvisse. Quia hujus contrarii affirmandi probatio ad Adversarium, qui præscriptionem decursam negat, pertinet, NATTA *conf. 446. n. 14. 15.*

6 Et proinde etiam ob favorem Libertatis insignem in dubio contra collectarum, & subsidiorum publicorum Onera judicandum sit adstruunt SURDUS *conf. 234. n. 20.* CACHERAN. *Dec. 4. n. 5. & 6.*

7. NISI casus imponendi, vel requirendi Collectam non contigerit; *vel* si occurrerit, necessitas tamen non adfuerit quærendi sive petendi illud, quod debebatur. Eô enim casu interpellationem ad cursum Præscriptionis necessariam esse videtur. Nam si imminueret Necessitas, & non petita fuerit Collecta, ab eo tempore Præscriptionem procedere ambigendum non est. *Duplicatio Replicationis* Ildæ.

8 Sicuti eodem modo Vasallum, si casus servitiorum occurrerit, & Dominus, iis indigens, illum non interpellaverit, ab hoc tempore libertatem præscribere Juri consentaneum est. NATT. *conf. 406. n. 21. seqq.*

Tantum pro Instituto sufficiat. Vela enim ob temporis rationem contrahenda. Sed me Omnibus hàc in Materia amplissima, juxta ac utilissima haud satisfecisse Ingeniis facile credam. Idcirco si præter Mentis oculum aliquid irrepserit, quod minus curatè dictum alicui videatur, nil nisi æquam abs Te B. L. de his obnixè rogo interpretationem. Cæteroquin uti SANCTUS SANCTUS SANCTUS JEHOVA omnium nostrorum actionum Principium, & Finis: ita pro auxilio, & ab illius Numine Mihi benignissime concessis Viribus sit ipsi *Epilogus*

DEO OMNIPOTENTI OPTIMO MAXIMO

SOLI LAUS HONOR ET GLORIA

AMEN

COROLLARIA

I Poena gravior non pecuniaria imposita in causis famosis Jure Civili existimationem non detrahit, sed absque nota conservat.

II Notario Minori peccanti contra Lotharii, & Friderici I. Impp. Constitutiones pœna ordinaria non irroganda.

III In Actionibus Delictorum famosis Pactum & Sententia idem sunt.

IV Nobili Privato, vel Mediato partem feudi Minorem absque Consensu Domini alienare non licet.

V Soli Nobiles, exclusis Plebeiis, habent Parium Curiæ Dignitatem.

VI Non omne Feudum nobilitat.

VII Nobilis in Imperio æqualem in altero Regno cum æquali habet Dignitatem.

VIII Dignitatem Principis inferiorem esse Ducali absolutè dici nequit.

IX Dos est Debitum feudale.

X Pactum & Consuetudo à pari procedunt.

XI Vasallum servientem & ab hoste captum Dominus redimere tenetur propriis etiam sumtibus.

F I N I S.

Ad §. 31 Cap. I.

Formula Consensûs a Domino requisito oppignorationi feudi ad 12. annos adjecti.

Wir Johannes von Gottes gnaden, Pfaltzgraffe bey Rhein, Hertzog von Bay-
ern Graffe zu Veldentz vndt Spanheim, bekennen vndt thun kundt offentlich
mit dießen Brieff, daß wir dem Vesten vnßern Lehnman und lieben getrewen
Chun Echbrechten von Dürckh.im vff sein vnterthänig bey vnß beschehenes Ansuchen
gnädiglich vergönnet vndt bewilliget haben, vergönnen vndt bewilligen auch Jhm In
vndt mit Krafft dießes Brieffs für vnß, vnßere Erben vndt Nachkommen daß er vff
daß Schloß vndt Dorff Heuchelheim sampt den darzu gehörigen Gutern, so er von
vnß zu Lehen trägt, Acht Taußendt gülden jedem zu 15 Batzen oder 27 Albus gerech-
net, bahren geldts auffnehmen vndt entlehnen möge, Jedoch mit dem außtrücklichen
Vorbehalt, daß er oder seine Erben schuldig sein sollen, solche 8000 fl. Haubtgeldts
vffs Lengst innerhalb 12 Jahren, den nechsten nach dato dießes Brieffs wieder abzu-
legen vndt daß Lehen wieder ledig zu machen, auch Immittelst vnß so wohl alß vnßern
Erben bevorstehen soll, solche Summa geldts selbst abzulößen, vndt an deß Herlehers
Statt zu stehen, Insonderheit aber soll solche Verwilligung vnß vnd vnßern Erben
an vnßer Mannschafft, Lehenschafft, Lehenrechten vndt gewonheit in alle weg ohne
Nachtheyl vndt schaden sein. Da auch wir oder vnßere Erben Jhme oder seinen Erben,
Innerhalb deren bestimpten 12 Jahren die nechst verschienen 1603 Jahrs zwischen
vnß vndt ihme verglichene Summa des gantzen Kauff Schillings werden erlegen las-
ßen, welches wir vnß dann hiemit außtrücklich wollen vorbehalten haben, So soll
alß dann derselbige getroffene Kauff seinen Endtlichen fortgang haben, da es aber
nit geschehe, diese vnßere Verwilligung nach Endigung mehr berührter 12 Jahr ihre
Endtschafft haben, alles getrewlich vndt sonder gefehrde, deßen zu Vrkundt haben
wir dießen Consens mit unßerer Subscription vndt angehenckten Lehen Secret bekräffti-
get, geschehen zu Zweybrücken vff Mittwoch den 15 Febr. Anno 1604.

Johannes Pfaltzgraffe bey Rhein
manu propria Subscripsit.

(LS)

IENA Tibi summos, HAYNI, decernit honores,
IENA Tibi, doctis semper vt aequa Viris.
Hic, vbi tantorum sese doctrina virorum
Explicat, ac mentis promit & ornat opes:
Hic, vbi BVDDEVS, lumen venerabile mundi,
Absque pari rectam monstrat ad astra viam;
Hic, vbi cum STRUVIO, quidquid Sapientia praestat
SYRBIVS, & reliqui, docta corona, docent,
Adplaudo decori fido de pectore tanto,
Adprecor & meritis fata secunda tuis.
Praemia quum videam virtutem digna referre,
Praemia virtuti gaudeo digna dari.
Virtuti grator de Te, Tibi grator & illam;
Virtuti decus es, ceu decus illa Tibi.

VIRO NOBILISSIMO
de meritissimis honoribus
gratulatus
Scripsit Francofurti ad Moenum die 1. Febr.
A. O. R. cIↃ IↃ CC XXIX.
IO. GEORGIVS PRITIVS, D.
Ministerii Senior.

Viro Nobilissimo
IO. ADAMO HAYNIO,
S. D.
BVRCARD GOTTHELF STRUVE.

TAndem Praetura Catonem! Sic enim, VIR NOBILISSIME, post exantlatos labores, ad honores adscendis, dudum promeritos. Industriam Tuam, in diuersis non solum Academiis, celeberrimorum virorum subsellia, scholasque secutus, sed etiam forenses tractando causas in celeberrimo potissimum Germaniae Emporio, probasti. Nunc etiam per dissertationem multa cura elaboratam, aditum Tibi parasti ad cathedram Superiorem. Gratulor ex animo de novis hisce honoribus, optoque, velit Supremum Numen maiores addere, & quaeuis prospera benignissime elargiri, Teque post tot diurnos labores, nocturnasque studiorum causa vigilias, ad suaues amplexus reducere. Hoc amica mente adprecor, meque Tibi ad quaeuis officia fore paratum, sincere promitto. Scribebam Ienae d. XVIII. Februarii, cIↃIↃCC XXIX.

Est virtutis opus, plus ultra tendere; in arctum
Nec patitur redigi mens generosa statum.
Ipse Tuo exemplo monstras, DOCTISSIME AMICE,
Quam sit, in excelsum surgere, dulce Tibi.
Hactenus Orator caussarum & suave fuisti
Pressorum auxilium, gloria magna fori.
Sed nunc dulce putas doctrinam, & mentis acumen
E cathedra solide posse probare Tuum.
Quo pacto, quae sit Tua laus, industria, virtus,
Et vis ingenii iudiciique probas.

amica m. & m. scr.

C. ACHATIUS BECKIUS, D.
Facult. Jurid. h. t. Decanus.

QUae TV jam dudum meruisti summa Brabea
HAYNI nunc demum nostra Salana dabit.
Nunc TIBI Juno favet, Saturnia donat honores,
Blandula jam TE sors ad magis alta vocat.
Haec sunt virtutis, sunt praemia justa laborum
Queis superas Pindi TV juga celsa sacri.
Fortunam stabilem Titulis & Honoribus opto.
Accedant Gradibus maxima quaeque TVIS.

Hisce Nobilissimo atque Consultissimo DNO. DOCTORANDO de summis in utroque jure honoribus IPSI post habitam magna cum laude disputationem inauguralem conferendis ex animo gratulatur

JO. BERNHARDUS WIDEBURGIUS,
Mathem. P. P. *& Ducalium alumnorum* INSPECTOR.

VIR PRAENOBILISSIME ATQVE CONSVLTISSIME,
FAVTOR ATQVE AMICE AESTVMATISSIME.

SIcut non leve singularis doctrinae, quâ in Prudentia Iuris Publici, Feudalis, & Civilis, quàm in aliis scientiis ornatus es, specimen in Tua Dissertatione Inaugurali, quam publice Omnium cum applausu laudabiliter propugnasti, cujus rei ipse, a Te in numerum Opponentium benevole receptus, praesens testis fui, edidisti; Ita Tibi non solùm de eo, sed & de proxime

me instantibus Honoribus Doctoralibus ex intimo corde gratulor, precorque, ut Deus, quem sincere colis, omnibus Tuis conatibus gratiam suam uberrimè impertiatur. Vale & non immemor vive

Tui officiosissimi

IO. ERNESTI FLOERCKII, D.
Curiæ Provinc. Saxon. Advocati Ordin.
& Academiæ Salanæ Syndici.

Accipe maturos, Clarissime FAVTOR, honores,
Queis ego cum reliquis prospera quaeque precor.

Paucis hisce, supremos Honores dudum promeritos, Amplissimo VIRO, pia mente gratulor

CHRISTIANUS GOTTLIEB BUDER, D.
Bibliothecae Jenensis Praefectus.

Discite Justitiam! sic Justiniane tonabas
Te quum sub vivis vivere fata dabant.
Gaudia carpe Senex, & adhuc vestigia læti,
Grandia qui lustrant suntque vigentque tua.
Sunt quos Astræa sanctissima jura juvabunt
Volvere, qui clamant: discite justitiam.
Sunt quibus est cordi celsa de luce cathedrae
Justitiae gnomas perdocuisse palam
An dubitas? hic est exemplo qui ipse probabit
Hactenus & Themidos pervaluisse scholas.
Nimirum cathedras quem nunc ascendere cerno
Fauste juridicas, TE puto, TE volui.
Sic Decus egregium permultis vsibus, arte
Edocte & præstans, conciliatur honor;
Sic comes est virtus curæ, sic gloria Baldi
Virtutis, quæ stat dum ruet ipse polus.
Gratulor ex animo, lætis successibus opto
Gaudeat illud opus, quod decoratus adis.
Tempora labuntur: sed sedula quam sibi dextra
Colligit, hæc nullo tempore fama cadet.

Hac Consultissimo HAYNIO Fautori & Amico Optimo, gratulabundus de egregiæ eruditionis specimine adscripsit.

J. C. HEIMBURG D.

Q 2 VIR

VIR OPTUME!
Nulla aetas, nulla facultas, nullum studium
defuit
Tibi bene precandi;
Sed mihi iam verba in Te exornando desunt.
Superiore Seculo
Musas Salanas cum salutaremus
communibus litterarum studiis aliquot annos
ibidem dantes,
intercessit mihi Tecum amicitia,
non fucata, non simulata, non falsa,
sed spectata,
Hanc
coluisti, defendisti, servasti,
Seculo nunc florente,
Te rerum Praeside,
Me Duce KREVZIANA gente splendidissima,
in castello quod KREIPITSCHIVM vocatur,
Quis credat!
praeter spem eam redintegratam,
cum iucundissima consuetudine
tum summa necessitudine,
in patria nostra Vrbe amplissima,
ita vt
pro peruetери hac amicitia,
qua
nihil amabilius, nihil iucundius, nihil praestabilius,
facere non potuerim,
quin
AMICO
vsu & sapientia praestanti,
mihi amicissimo, nemini inimicissimo,
insigne honoris laudisque monumentum
statuerem.
Haud difficile est
laudare amicum
Magno Parente dignum,
multis rebus ornatum,
doctrina & consilio valentem:
id vero
quod difficilius putatur,
laudes
minuere, reticere, omittere.
Mihi gratulor
haec ad te scribere
soluta acri hieme,
CONSULTISSIME HATNI!
quod
conveniant rebus nomina saepe suis.
Quidquid amoenitatis,
quidquid dignitatis,
quidquid ornamenti,
in Luco
reperire licet,
THEMIDI sacrum
Jam
vernes, floreas, vigeas,
suffragio Amplissimi Iurisperitorum Ordinis
via munita,
ad
Nomen Titulumque Doctoris Juridici
capessendum.
Sed quorsum tandem?
Superesse videntur verba quae dixi
defutura.
O felices fluvii Civitatesque!
NAVMBVRGVM ad Salam Te progenuit;
Ad ripas Salae SCHOLA PORTENSIS Te
educavit,
ACADEMIA SALANA Te scientiis &
honoribus
insignivit & consummavit.
Augusta sedes VIENNA
ad Danubium caussas Tuas
praedicat,
FRANCOFVRTVM ad Moenum Te recipiet.
Quo
re simul & feliciter ex animique sententia
confecta
optant omnes, qui Tibi bene cupiunt,
precorque Deum ego,
vt
Te saluum atque incolumem reducem
faciat,
omnibusque beneficiis auctum
felicem semper fortuna tumque
praestet, seruet, tueatur.
Quod super est,
pro
Tua prudentia
fac ames
deuinctum, obsequiosum, obseruantem
JOHANNEM CHRISTIANUM
HEUSONIUM
Collegam Gymnasii, quod Trajecti ad
Moenum floret Secundum.
A. O. R. cIɔ Iɔcc xxix.

VIRO

VIRO
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE
DOMINO
IOHANNI ADAMO
HAYNIO,
VTRIVSQVE IVRIS DOCTORI
AC CONSILIARIO SAXO-VINARIENSI,
MERITISSIMO,
PATRONO SVO QVAM PLVRIMVM COLENDO
S. P. D.
FRANCISCVS LVDOVICVS
WALLACHER
MOENO-FRANCOFVRTANVS.
SACRAE THEOLOGIAE CVLTOR.

Quemadmodum, VIR EXCELLENTISSIME. *omnes, quae eruditionis circulum absoluunt, disciplinae tam arcto inter se coniunctae sunt vinculo, vt mox vna alterius fundamentum constituat, mox, quae in hac supponuntur, in illa iam accurate tradita sint, adeoque nulla sine aliis plenissime sibi constare queat; ita & quaedam inueniuntur, quae etsi non necessarium inter se habeant nexum, magnum tamen sibi inuicem vsum praestant. Testatur hoc prae caeteris ipsa disciplinarum facile princeps, theologia, vtpote cuius egregium in iurisprudentia vsum nemo facile in dubium vocabit. Non dicam nunc de vulgari sacrarum rerum notitia, quae, vt cuiuis christiano, ita & doctrinae ciuilis perito, ad vitam beate agendam necessaria est; sed, de acroamatica quadam diuinarum rerum scientia, quae non singulare solum decus ac ornamentum illi conciliat, sed & in ipsa ciuili doctrina eximios praebet vtilitatis fructus. Quum enim leges ciuiles nihil, quod naturae legibus contrarium sit, continere debeant, hae autem multo accuratius ex ipso summi-*

mi legislatoris ore, in sacra scriptura ad nos loquente, quam ex ratione, valde obscurata, cognoscantur; facile patet, quam necessarium ac vtile sit scripturae studium iis quoque, qui in ciuili prudentia suam collocare operam sibi proponunt. Diuinae etiam paginae sunt, quae magistratibus eiusmodi leges ferendas praescribent, per quas & ipsis & subditis licebit esse felicissimis; quae perfectum perfectae reipublicae exemplar in descriptione theocratiae iudaicae, legumque, a sapientissimo principe populo suo latarum, illis ante oculos ponent, non quidem, vt eamdem regiminis formam introducant, aut illarum legum obligatione teneantur; sed tamen, vt, quae ad sui status felicitatem conducere ipsis videntur, eligere, aut ad illarum exemplar disponere queant. Sacri porro fontes sunt, qui iudicibus ac iureconsultis in legum interpretatione saluberrimos constituent limites, quibus obseruatis omnia iustitiae ac aequitati, cuius sacerdotes ipsi Iustiniano imperatori audiunt legum periti, cuiusque promotio vltimum iurisprudentiae constituit finem, exacte respondebunt. Multae quoque in ipso iuris corpore conspiciuntur leges, ab imperatoribus christianis contra diuinae veritatis hostes ac primitiuae ecclesiae haereticos latae, quas, qui in theologicis hospitem se deprehendit, nunquam rite intelligere, multo minus solide explicare poterit. Et quot denique dissensiones ac bella, quae theologos inter ac iureconsultos summo cum detrimento geruntur, sponte cessabunt, si vtrique solida diuinae doctrinae imbuti essent cognitione? Quapropter & quouis tempore extitere, qui vtramque, sacram & ciuilem scientiam, feliciter coniunxerunt. Imo, adhuc hodie illustrissima in coelo iuridico splendent sidera, quae, iactis prius haut contemnendis in theologia fundamentis, ad iurisprudentiae studium se accinxerunt, & partim e sacra in ciuilem cathedram felicissimo successu transcenderunt. Idem & TVO, VIR EXCELLENTISSIME, constat exemplo; ex quo enim TIBI innotescere mihi contigit, non possum non fateri, me eximiae TVAE in sacra pariter ac ciuili doctrina eruditionis semper fuisse admiratorem; nunquam nisi summo cum gaudio TE accessi, TVVMque petii colloquium, quoniam mihi iam persuasum erat, me multo doctiorem ex eo recedere;

imo

imo non cum iureconsulto saepius, sed cum consummato theologo loqui me mihi videbatur. Et, quid opus est verbis? egregium, quod nunc eruditi orbis oculos subit, specimen satis superque testatur, quam felicissime theologiam cum iurisprudentia coniunxeris, & quam optime dignitatem, qua nunc augeris, meritus sis. Quapropter de vtroque ex animo gratulor, summumque, quod haut fucata prosequeris pietate, numen supplex veneror, vt TE, PATRONE, *quam plurimum colende, porro paternae suae tutelae ac prouidentiae commendatum habeat, saluberrimas* TVAS *actiones ac consilia in sanctissimi nominis sui gloriam, in totius patriae nostrae, cui egregios indefessae* TVAE *diligentiae, ac eruditionis plane eximiae fructus percipere licet, emolumentum,* TVI*que ipsius decus ac gloriam dirigat, cuiusuis generis mala abs* TE *abesse, omnibus vero, quotquot* TIBI *exoptare poteris, bonis abundare iubeat. Quod superest,* TVO *me fauori, beneuolentiae ac patrocinio etiam atque etiam commendo. Dabam* IENAE, *d.* XVI. *Februarii. A. O. R.*

cIↄ Iↄ CC XXIX.

EMinus, aspiciens radiosum lumen honorum,
Summos Jure hodie quos in vtroque capis.
Hem! volo, dicebam, modulari carmina Viro,
Qui Themidos iustæ præmia tanta meret.
At mihi scripturo versusque vocesque recedunt,
Nec fit versiculus iam fugiente die.
Tunc intrans Astraea, pium miserata dolorem;
Salue! ait; & solito plus radiata caput
Blanda, rogat: frustra quid tiro miselle laboras?
Nostine tu vires gnate tenelle tuas?
En! mea verba, meo quae reddas nomine Viro;
Queis ego, dic, illi gratuler ipsa Themis.
Dixerat: *Euge legum TV mihi meritissime Doctor!*
Sint TVA perpetuo prospera fata volo.

ANDREAS FRIDER. ROSE
Wursato-Bremensis.

Hoch.

Hoch-Edler,

da ich heut den Pindus wolt besteigen,
Da Ihm Astræens Pracht die frohen Schläffe schmückt:
So muste, ob ich gleich nicht wolte, schleunig schweigen,
Weil Clions Zauber-Klang die Seele von mir rückt;
Der Geist stockt und vergaß so gar das Athem ziehen,
Es drang der Sinnen Krafft sich dem Gehöre zu:
Hier würde Orpheus Geist aus seinen Adern fliehen,
Und in der Leidenschafft fort suchen seine Ruh.
Doch endlich sahe ich der Pallas ins Gesichte,
Und merckte, daß ihr selbst ihr Blut vor Freuden walt,
Kaum aber senckte sie von ihren hohem Lichte,
Mir ein'ge Blicke zu; So sagt sie zu mir: halt!
Dein Unvermögen wird umsonst die Saiten zwingen,
Dein Lied verfehlt, weil hier sich Clions Laute rührt,
Die muß ietzt diesen Sohn mit sondrer Kunst besingen,
Da Ihn Astræa hat, nach meinen Wunsch, geziert.
Drum **Hochgeehrtester** wird Er mirs nicht verdencken,
Wenn die erfreute Pflicht bey ihrer Armuth schweigt.
Denn wen Astræa will und Pallas selbst beschencken,
Dem wird von mir umsonst ein Lorber-Blat gereicht.
Indessen wünsche doch so vieles Glück und Seegen,
Als Ihm Astræa ietzt und Pallas Lorber streut.
Darff ich, mir schmeichelnd, noch die schöne Hoffnung hegen,
Daß Er mir fort geneigt: So nenne mich erfreut

Meines Hoch-Edlen und Hochgelahrten Herrns
auch Hochgeehrtisten Gönners

ergebenster Diener
JOHANN. JUSTINUS SCHIERSCHMIDT.
Philos. & LL. Cult.

sioni Imperatoris, Regisque Romani, ut & totius Imperii, atque sanguinis Christiani Patriæque vindicationi suum sanguinem, & vitam militando sacrificant fideliter, so zu Erhaltung Römis. Reichs Ehr. und Würden, auch zu Rettung Christlichen Blutes, und zu Schutz gemeinen Vatterlandes, und Freyheit mit ihren Blutvergiessen ihre treue Hülffe stattlich mitgetheilet, und gethan, und dazu gewidmet seyn, uti memoratur *in alleg. R. I. Ao.* 1500. & *R. I.* 1512. *d.* §. 27.

§. XCII.

porro 1) ab exemtione Jurisdictionis Statuum Imp. 1 Atque hinc est, quod ipsorum Vasallorum Imperii, veluti NOBILITATIS EQUESTRIS *Immediatæ* Bona Feudalia ab omni Jurisdictione Statuum, in quorum Territoriis reperiuntur, adeo exemta habeantur, ut iis à Dominis Territorii, casu etiam Necessitatis Publicæ, *Contributiones* vel *Collectæ*, *tam* Extraordinariæ, *quam* Ordinariæ, multò potiùs Provinciales imponi, nec possint, nec debeant.

2) à Cæsarea Protectione, 2 Ei immunitatis etenim perpetuæ de causâ *datis*, *confirmatis*, *renovatis*, *& declaratis* Nobilitati FRANCONICÆ ab Impp. Ferdinando I. Ao. 1550. Maximiliano II. Ao. 1565. Rudolpho II. Ao. 1609: SUEVICÆ à Rudolpho II. Ao. 1601. Ferdinando II. 1620, & 1624: RHENANÆ à Ferdinando I. Ao. 1542. Carolo V. Ao. 1547. & 1549. Rudolpho II. Ao. 1609. nec non Ferdinando III. Ao. 1630. 1639. 1652. *Privilegiis*, sæpius dehinc Mandata Pœnalia ab Archidicasteriis Cæsareis emanarunt, quibus contravenientes, ne ORDO EQUESTRIS ullo *contribuendi*, sive collectandi munere gravaretur, sed per violentam impressionem ab ipsis extorta confestim restituerentur, unà cum decretâ eorum Actuum, & Factorum infirmatione, & cassamento pulsati fuerunt.

3 Et ideo Cameram Imperialem speciali Imperatoris Oraculo Ao. 1592. de manutenentia Nobilium Equestrium, & Imperii Vasallorum, ne contra eorum libertatem sub prætextu Superioritatis Territorialis pronuncietur, admonitam fuisse refert GYLMAN. *Symp. T. 3. Dec. Cam. Voc. Nobilitas.*

2) & confirmatione; 4 Atque hujus Immunitatis aliorumque Privilegiorum, & Jurium postremæ, novissimæque Confirmationes etiam fulgent in Capitulationibus Cæsareis, LEOPOLDINA, JOSEPHINA, & CAROLINA: Uti ex earum tenore hinc inde perspectum est. Conf. OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 29. §. 9. 10-14.*

3) à præsumtionis Territorialis exclusione; 5 Quapropter contra eandem Nobilitatem nec illa Præsumtionis Argumentatio locum invenit, quod Dominus Territorii fundatam habeat Jurisdictionem adversus omnes Territorium incolentes: (licet ea Theorica aliàs in Saxonia, Bavariâ, Marchiâ, Hassiâ &c. magni valoris) Quia pro iisdem Vasallis Imperii contraria præponderat præsumtio, quod, tanquam Immediati, quoad *Personas*, & *Bona* immunes sint, secundum supra all. *R. I.* Conf. GYLM. *T. I. P. I. Tit. 3. Vot. 7. n. 4. & Tit. 6. n. 56. 57.* KLOCK. *Rel. Cam. 73. n. 5.*

6 Neque illorum Vasallorum Immunitati perpetuæ obest unus, vel alter Actus Jurisdictionis à Domino Territorii exercitus; veluti *Citatio*, *Inhibitio*, aut *Indictio* ipsis facta, vel etiam Nobilis Immediati *comparitio* &c. Quippe ea subjectionem non statim gignere valeat, licet etiam Comparitio *spontanea* fuerit. Cum ejusmodi non Subjectionis, vel agnitæ Jurisdictionis, sed MERI tantum

tùm HONORIS, & Informationis gratiâ sæpiùs fieri solent. Ex quibus eo minus Jurisdictio præsumenda, quantò magis verum est, quod non præceptum asserti Domini, sed subsecuta *vera Obedientia* probet Jurisdictionem. MATTH. de AFF. *Dec. Neapol. 265. n. 9. 10.* MASCARD. *Concl. 947. n. 4.*

7 Nec etiam Color Præscriptionis Istorum exemtionem dubiam, aut controversam reddere, multò minùs evertere pervalet. Etenim in causis Immunitatis Nobilium destruendæ PRÆSCRIPTIO *Legitima*, *evidens*, *omniumque longissima*, & memoriam Hominum excedens requiritur. ARNIS. *de Jur. Maj. c. 2. n. 6.* BESOLD. *in Thes. Pr. ver.* Ritterschafft. KLOCK. *T. I. Cons. 38. n. 228.*

Decisio quæst.

Ut proinde certi Juris, & Veritatis pervirentis sit, quod Vasalli Immediati quà tales, & eos inter præcipuè Nobiles Equestres ab Onere Collectarum, & Contributionum Imperii quà *Bona Feudalia*, ubique Locorum in Imperio sita, exemti sint, neque iis, etiam *casu necessitatis* & Utilitatis Publicæ, contra Juris Naturalis rationem subjici possint; uti eidem sententiæ post alios adstipulatur BESOLD. *P. V. Conf. 233. n. 92. 94. seqq.*

Exceptio I de Usu Loci contrario;

8 NISI (1) aliud Provinciæ, *vel* Loci Consuetudo LONGISSIMA induxerit. Quæ tamen non ex simplicis Observantiæ assertione, sed ex rationabili, & sufficienti causâ, tacitò Consensu, & Uniformi Usu, Actuum continuorum frequentiâ, & temporis Legitimi, & immemorialis diuturnitate probanda, & dijudicanda venit; *R. I. Ao. 1551. §. 25. & A. 1566. §. 41* MYNS. *Dec. XII. Resp. I. n. 7. usque 20. & Dec. XIII. Resp. 3. n. 13. seqq.* GAIL. *II. Obs. 52. n. 18. & Obs. 53. n. 5.* GRÆVÆ. *II. Concl. 52 n. 16. seqq.* KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 225. 226.*

II de Bonis civilibus.

9 *Aut* NISI (2) Vasallus possideat BONA CIVILIA, quæ à Privatis quocunque Titulo acquisita, & oneribus Publicis obnoxia manent; *L. & qui Originem 3. §. 1. & 11.* & *L. Rescripto 6. §. ult. D. de Mun. & Hon.* NATT. *Cons. 460. n. 16. Job.* BIDEMB. *Qu. 18. 19.*

§. XCIII.

An Immunitas speciatim etiam ad Vasallos Mediatos, in spec. Nobiles Equestres Mediatos? Eorum descriptio; Divisio;

1 Hæc de Vasallis, & Nobilibus Immediatis. Veruntamen acrior movetur Quæstio de VASALLIS MEDIATIS, qui Feuda à Principibus, & Statibus Imperii Rom. Germanici accipiunt, & recognoscunt, atque ideo *Mediate* imperio subjecti, in Provinciis Imperii, sive Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, vel Dynastiis, in quibus habitant, aut res illas Feudales possident, Principes, Duces, & Dynastas, DOMINOS suos agnoscunt, eosque salutant: Ihre Landes Fürsten, Landes Obrigkeit, und gnädige Herren; & ab his appellitantur: Liebe Getreue alias Personæ Jurisdictionales, quibus in Omnibus mandari, & imperari potest, & in Genere LANDSASSII, qui in, & de Territorio sunt, & Ordinem Provinciæ præcipium repræsentantes, Germ. Die Adeliche Landt Ständte; BESOLD. *d. Cons. 233. n. 12. seqq.* IN SPECIE vero *vel Schrifftsassii*, Cantzley- und Schrifftsassen, qui ratione Feudi Principi, aut Statui *immediatè*, *vel Ambtsassii*, qui Præfecturis, & Toparchis, atque illi MEDIATE subjiciuntur, vocati: Quibus præterea adnumerantur *Stadsassii*, qui in, & sub Civitatibus Imperialibus, vel Hanseaticis domicilia sua tenent, vel ab eorum Magistratibus feuda recognoscunt, Schrifftsassiis fere æquipollentes: de quibus DRACO *in erud. Tr. de Orig. & Jur. Patric.*

2 Cu-

Sedes. 2 Cujus iſtius Landſaſſiatûs ſedes Originaria in *Auſtria*, *Saxonia*, *Bavaria*, *Marchia*, *Palatinatu Superiori*, *Haſſia*, *Weſtphalia*, & alibi præcipue adhuc viget. Conf. MEISCHN. *T. 2. p. 2. Dec. 8. n. 30. 40. ſeqq.* KNIECH. *de ſubl. terr. Jur. cap. 3. n. 314.* RUDING. *Sing. Obs. Cent. 3. Obs. 27.*

Opinio contraria; ejus colores. 3 Equidem hinc diverſorum Dd. eſt ſententia, quod intuitu Subjectionis Vaſalli MEDIATI ab onere *contribuendi*, & *collectandi* exemti non ſint, ſed illis ratione Perſonæ, & eorum Bonorum Mobilium, & Immobilium Principes, & Status Imperii Collectas, & Contributiones *vigore Regalium* promiſcuè imponere poſſint, & debeant, fulti Conſtitutionibus Imperii ſuprà allegatis *Ao. 1495. Ao. 1530. §. 118. Ao. 1548. Ao. 1551. Ao. 1557 §. 48, 49. Ao. 1566. §. 41. Ao. 1582. §. 20.* Quoniam Vaſalli ſimiles ſint Uſufructuariis, qui Indictionis, & Superindictionis ſarcinam ſuſtinere coguntur. *L. ſi pendentes 27. §. ſi quid. 3. D. de Uſufr.* H. PISTOR *lib. I. Quæſt. 46. n. 33.* Et illa Nobilium, & Vaſallorum attributa Exemtio juxta Diſpotionem Juris Juſtinianei tantum quoad *Perſonas* non autem de Muneribus Patrimonialibus, ſive Collectis intelligenda ſit; *L. ſunt Munera 11. D. de Vacat. & Excus. Mun.* KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 300. & 310. ſeqq.*

adjecta ratio limitata. 4 Cui Alii *Limitationem* adjiciunt, quod licet ab *Ordinariis*, non tamen ab *Extraordinariis* Collectis exemti ſint; JAC. de GEORG. *in Tr. de Homag. Gl. I. n. 36.* GILHAVS. *de Arbitr. Jud. Civ. P. I. de Juriſd. c. I n. 4.* Præſertim caſu occurrentis *Neceſſitatis*, & Utilitatis Publicæ, quæ cuilibet Privilegio præferenda. MYNS. *Cent. 4. Obs. 70.*

§. XCIV.

Sententia affirm defenſio, & Confirmatio 1 Sed Rei hujus Conditione, Æquitatis Voce, & Juris applicatione penitius inſpectâ, eorum Cynoſuram Sectantes ab eâ Aſſertione, quam de Exemtione *Vaſallorum*, qua TALIUM, ſupra ſtatuimus, etiam quà MEDIATOS vix, imò recedendum haut eſt. *per text. L. Et qui Originem. 3. §. 1. de Mun. & Hon.* Quum eadem Ratio in Vaſallis, & Nobilibus Equeſtribus Mediatis, quæ in Immediatis obtinet.

a) *Dubiorum Reſolutione* 2 Ac licet quoad *Dominum* SUPREMUM, cujus Majeſtatem Immediati adorant; & STATUS *Imperii*, Cæſare quidem Inferiores, quos Iſti venerantur, aliqua intercedat Differentia; atque Nobiles *Immediati* quibusdam *Eminentiis* præfulgeant, gaudeantque *Regalibus*, veluti Jurisdictione ECCLESIASTICA, Paceque Religionis, juxta & *Poteſtate* GLADII, ſive *Mero*, & *Mixto* IMPERIO; *R. I. de Ao. 1555. §.* Und in ſolchen Frieden. *Ordin. Cam. P. 2. Tit. 5. Inſtr.* PAC. SUEC. *Art. 5. §. 10. 28.* OLDENB. *Limn. Enucl. lib. 3. c. 29. §. 6. Henr.* HORN. *in Diſp. an Nob. gaud. Super Territ. Chr.* WIDEM. *in Diſcurs. Jur. Pub. de Civ. Nob. Stat. eor. Jur. & Privil.* nec non *Jure* COLLECTANDI *Rec. Ao. 1612. §. 27. & 36. Ao. 1552. verb.* Geſtalten dann zu deſto ꝛc. & *Privilegio* AUSTREGARUM. *Ord. Cam. lib. II. Tit. 3. & 4.* Similiter Jure ARCHIVI; FOEDERA cum aliis pangendi; DIÆTAS, & *Concilia*, Ritter-Täge, inter Se libere inſtituendi; it LEGATOS mittendi; Conf. STRYKK. *de Succ. ab Inteſt. Diſſ. 8. c. 8.* præterea *Banno* FERINO, Wildt-Bahn, aliisque, proinde *Superioritate* hinc ipſis adſtruenda Territoriali; BURGOLD. *ad Inſtr. ac. P. I. Diſc. 22. §. 5.* Quippe Corpus

pus Equestre Immediatum, instar Reipubl., constituentes, Magistratum, sive Senatum Equestrem; nimirum Directores, Hauptmann, Ausschuß, und Ritter-Rath, agnoscentes, ideo respectu Illius à quibusdam Politicis pro *Statibus Imperii* (sensu tamen lato) habeantur, vigore *R. I. Ao.* 1634. *§. 32.* ibi die Gan-Erben, CARPZ. *ad L. Reg. Cap. 3. Sect. 12.* BESOLD. *de Ord. Equ. n. 1.* Ipsisque à quibusdam tribuatur προεδρία ante Civitates Imperiales, eorumque Subjectos Nobiles Patritios; FRITZSCH. *in El. Jur. Publ.* (Quibus Nobilibus Equestribus tamen, etsi Comitibus, Status Imperii non existentibus, Capitulatione LEOPOLDINA teste §. 46. comparentur, Legati dictarum Civitatum in Publico Principum Conventu cedere contradixerunt, suamque juxta Comites & Barones *immediatam Sessionem*, non attentâ Nobilium Equitum Protestatione, obtinuerunt, attestante ex publicis Diætarum Actis OLDENB. *in Limn. Enucl. lib. 3. cap. 29. §. 4. 5. 8.)* ut hinc ob insignia ab Imperatoribus ipsis concessa Privilegia priores partes quoad *Universitatem* præ Mediatis habere videantur:

3 Attamen his, & aliis Omnibus Formalitas & Conditio Rei præsentis quà Feudorum à Collectis, & Contributionibus EXEMTIONEM minimè alteratur, sed sicuti RATIONE SINGULORUM *Nobilium* UTRIQUE Immediati, & Mediati in pari Dignitatis Gradu constituti sunt, &, quod ISTI *Nobiles Equestres* Vasalli Imperii facti, & quibusdam Privilegiis aucti; Hi vero, Landsassii, sub Principum, & Statuum Dominio permansêre, Ordinem Nobilitatis Equestris non mutat;

4 Siquidem Utraque ex Unico eodem Fonte Cæsareo manat, & derivatur, b) atque ideo Immediati in eadem Nobilitatis Classe cum Mediatis comprehenduntur, nec altiorem Nobilitatis Gradum sibi vindicare queunt, sed Utrique Nobiles sui Generis Claritatem tam Generosæ Prosapiæ, & Progenitorum Virtutibus, quàm suis Rebus laudabiliter gestis acceptis referunt: RATIONE vero FIDELITATIS, & Servitiorum paratissimorum, quæ propter Feuda possessa, *de quibus hic Quæstio est*, Dominis suis UTRAQUE Nobilitas Equestris, *tam* Immediata, *quàm* Mediata quocunque tempore, & Loco præstare debet, inter ipsos nulla est disparitas, sed una Rei conditio, una æquitas, unum Jus:

b) *à paritate Originis, & dignitatis;*

5 Ita hinc pronè ratiocinandum est, quod, quâ proportione & Justitiâ Imperator se gerit erga Vasallos Imperii, Nobilesque Immediatos quoad eorum Jurium Immunitatis, Privilegiorum, Juriumque Conservationem, & Protectionem, eundem Typum quilibet Princeps, & Status Imperii in considerandis, & tractandis Vasallis suis, & Nobilibus Mediatis sequi, & tenere debet propter identitatem Rationis in Legibus, & Imperii Constitutionibus fundatæ manifestam conf. CÆPOLL. *in Tr. de Imp. Mili. delig. §. Nobilitatis etiam. n. 39.* ROL. A VALLE *T. 4. Cons. 40. n. 36.* MYNSING. *Dec. XI. Resp. 7. n. 31. & Dec. XV. Resp. 1. n. 21. seqq. & Cent. IV. Obs. 91.*

c) *ab æqua Jurium competentia;*

6 Atqui Vasalli Mediati cujuscunque Generis, qui ratione Feudorum eôdem modo, quô Vasalli Immediati, certo jam, & definito Oneri, veluti Servitiis, quolibet casu, & tempore indicendis, & Principi, vel Statui, uti Domino Directo, & Superiori, præcisè & exactissimè præstandis *singulariter* mancipati, & eapropter prædestinati sunt, ut iis non solùm tempore PACIS, & omnimodâ Honoris & Obsequii exhibendi occasione interpellatis fideliter præstò adsint, sed & in Necessitatibus BELLI quibuscunque ad Domini, ejusque vitæ, corporis,

d) *ab onerum militarium qualitate.*

ris, famæ, bonorum, & totius Imperii, & Provinciæ tuitionem, Patriæque & incolarum conservationem omnibus Martis periculis, & Conflictibus vitam, & sanguinem suum exponant, atque litent, eaque Servitia Militaria propriis etiam sumtibus Domino, interdum quoque non interpellati, exhibere teneantur; JUL. CLAR. *in* §. *feudum. Qu.* 21. *n.* 1. *& ibi* HIERON. GIACH. *in Addit.* KLOCK. *T. I. Consil.* 10. *n.* 524. *seqq.*

e) à Servitiorum sanguinantium prævalenti præstantia; 7 Hæc æquâ lance merito ponderanda. Annon ista Servitia, quibus Vasallorum Majores pro Domino, & Patriâ dimicantes multum sanguinis effuderunt, & illorum Successorum Fidelium sanguis etiam nunc ad Defensionem Domini, Provinciæ, & Imperii profundendus obligatus est, longè majora istis Collectis, atque omni ære Subditorum, & Incolarum judicanda sint: Cum Vita & Sanguis Hominum, quid ni Generosorum, & Nobilium, res inæstimabilis, qui nullo æris acervo, & Auri, nullo pretio, nullis collectis, & Contributionibus, etiam acerbissimis, æquandus, vel compensandus est.

f) ab iniquitate duplicandi Oneris; 8 Nonne igitur summæ Injuriæ acorem res conciperet, cum ex summo Jure, quod casu Necessitatis Publicæ nemo à Collectis Imperii, vel Provinciæ excipiendus sit; Vasallo, his grandibus servitiis jam onerato, simul Collectæ, vel Contributiones Ordinariæ, aut Extraordinariæ imponi deberent, ipseque DUPLICI ita sarcinâ enervaretur: Cui tamen magis subveniendum, ut ipsi non deficerent sumtus, quibus militiam sequi, & pro Domino & Patriâ eò instructior, & fortior cum Hostibus cernere posset.

g) ab æquitatis proportionandæ dictamine; 9 Proinde hîc in tam arduâ re illa Æquitas, rigori anteponenda, quæ Cæsarem, & Imperium, ut Nobilitati Equestri Immediatæ Immunitatem, & Nervum ad Militiam, Imperii defendendi causâ præstandam, non imminuerent, permovit, pro Vasallis Mediatis quoque intercedit, perpetuoque valet, ut eorum à quibuslibet Indictionibus, & Collectis, *quà se & Feuda sua*, competens IMMUNITAS casu etiam Necessitatis, Imperio vel Provinciæ obvenientis, consideretur.

& legis publicæ obligatione; 10 Quoniam ipsam publicam Necessitatem Vasalli adeunt, & periculo Belli suam vitam, fructusque Feudi ad sublevandos sumtus Militiæ subeundæ obsequiosè, & fideliter committunt, & relictis, Uxore, Liberis, Omnibusque Bonis suis pro Domino, & Patriâ cum Hoste collatis signis depugnant.

h) ab Origine & fine feudorum; 11 Etenim ex hac eâdemque causa prægnanti, & parato Auxilio, ipsi Necessitati serviente, Origo Immunitatis, Feudis, & eorum Possessoribus quæsitæ, redundat. Siquidem, uti superioribus demonstravimus ex publica Necessitate Militia, ex Militiâ Feuda, ex Feudis Nobilitas, atque ex his necessariò Immunitas seu Exemtio à Tributis, & Collectis, Militibus, Nobilibus Feudis, & Vasallis acquisita, & adnata fuit:

i) à quæsitæ Immunitatis feudis competentis Generalitate; 12 Cum enim prævisâ, & urgente Necessitate Publicâ Robur, & Consolidamentum Imperii in potentia bellica, & milite præsidiario perpetuo, quem illa præsupponit, Cæsares, & Reges sapienter locarunt, & ideo certa Bona & Prædia Militibus destinarent, iisque, qui virtute Achilleâ præstiterunt, cum Honoribus eo fine & nexu Feudali concederent, ut Belli necessitate ARMIS & EQUIS serviendo, & adversus hostem pro Domino, Imperio & Patria confligendo adessent: Idcirco *Opus* etiam *Belli* sequendi, *Ordini* Militari & *Equestri* injunctum, Feudis, & Vasallis ab initio semper adeo incubuit, ut omni ingruentis Hosti-

Hostilitatis Occasione MILITES, & NOBILES unicè fere *bello* interessent. Sicuti Marte exardescente hodieque Vasalli, & Nobiles armis, & Equis instructi, Domino fideles suppetias ferentes, militando serviunt.

3 Atque hinc paritas Rationis satis elucescit, quod Jus Immunitatis, ab Origine Feudis ex Jure Militiæ innatum, & acquisitum, Vasallis, & *Nobilibus* MEDIATIS *eâdem formâ*, & modô, quô *Immediatis*, competat, ut illud prætextu Superioritatis Territorialis, iis invitis, haud imminui, multò minus citra injuriam auferri possit; consequenter durum, & æquitati contrarium videatur, si Vasallis & Feudis, oneri Necessitatis Bellicæ dedicatis, citra eorum immunitatem, Majorum sanguine partam, *tributa, vel Collectæ*, imponerentur. GVID. PAP. *Dec. 169. & 387.* HIPP. à TREISB. *in Tr. de Priv. Ord. Equ.* BVRG. *ad Instr. Pac. P. I. Disc. 23. §. 3.* OLDEND. *in Limn. Enucl. lib. 3. c. 27. §. 3.*

§. XCV.

1 Et sicuti porro differentia inter Vasallos, & Cives, vel Municipes, aliosque in Territorio incolas Subditos abunde liquet; WESENB. *Cons. I. n. 57.* GAIL. *de Pign. Obs. 15. n. 3.* ROSENTH. C. 5. *Concl. 75. de Feud.*

Quandoquidem his Subditis, *olim* communiter LEUDES, sive Leodes dictis, notanter, & in specie *Censui*, contemplatione rerum patrimonialium, *Mobilium, & Immobilium*, obnoxiis, als Schatzungs-Pflichtigen, Tributa, & Collectæ, utpote *Munera* MIXTA solùm indicuntur, & imponi possunt; *L. 1. C. de Mun. Patrimon. R. I. Ao* 1530. *§. 118.* FELIN. *Conf. 46. n. 8. 9. seqq.* GAIL. *II. Obs. 52. n. 9. 10. 13.* CACHER. *Conf. 9. n. 18.* FICHARD. *Vol. 3. Conf. 47. n. 4. 10.*

k) à differentia inter Bona Civitatensia & Feudalia;

3 Vasalli è contra ratione Feudorum possessorum, licet in, & sub Territorio, ubi Collecta exigitur, comprehensorum, ad solutionem Contributionum, & Collectarum eò minus obligati esse possunt, quo magis illa Feuda non Vasallorum, sed *Dominorum Bona propria*; quæ ideo in Æstima, & Libros Censuales, sicuti Subditorum fortunæ, nunquam deferri solita, neque deferenda, *per L. Privatæ 10. & L. pen. C. de Excus. Mun. L. ult. C. de Privil. Dom. Aug.* HEIG. *I. Qu. 18. n. 5. seqq.* adeoque eorum immunitate à Domino Territorii in deteriorem conditionem Vasallorum, iis invitis, haud privanda sunt.

4 Præsertim cum ex interventu Feudalis Contractus, b. f. initi, Obligatio Vasalli præter vinculum fidelitatis, & servitiorum feudalium *aliis Oneribus* Subditorum non est implicata.

l) *ex contractûs feudalis determinatione litis;*

5 Et prætereà illa Emolumenta QVÆSTUS *Communis*, quæ Cives, & alii incolæ subditi non militantes, quorum gratiâ his Collectæ imponi insolent, quotidie percipiunt, Vasallis non subveniunt: Quibus cessantibus, tanquam causâ, etiam Effectus, nimirum impositio Collectarum cessare debet. NATTA *Conf. 157. n. 5. & Conf. 160. n. 35.* Quoniam Vasalli nihilominus Onera militaria, necessitati bellicæ serviendo, sub privatione Honoris, & Bonorum Feudalium sustinere debent. MOD. PISTOR. *Conf. 9. n. 43. Vol. 2.* ROSENTH. *C. VI. Concl. 57. circa fin.*

m) *à quæstus Communis in Vasallis cessatione;*

6 Ita omnino concludendum est, quod Vasalli etiam Mediati, quà Feuda, de quibus ad Servitia, & Fidelitatis Munia obeunda obstricti sunt, à Contributionibus, & Collectis immunes sint & esse debeant. HEIG. *d. Qu. 18.* OLDENB. *in Limn. Enuc. lib. 3. c. 30. §. 8.*

Illatio.

P 2 7 Non

adversæ Opin. Obmotorum Refutatio, I

7 Non enim obstant Adversæ Sententiæ rationes supra §. 93. recitatæ. Namque illorum Recessuum & Constitutionum Imperialium Ambitus Generalis Omnes quidem Imperii, & Provinciarum, Statuumque Subditos, qui Oneri Martis ad Militaria servitia præstanda non addicti, comprehendit, veruntamen ISTARUM *respectus* quoad ipsos VASALLOS *specialis, & singularissimus* est, ut ipsorum subsidium, salvô ipsis aliàs competente Immunitatis Jure, non aliter requirat, quàm casu extremæ, ancipitis, & duplicis Necessitatis concurrentis Publicæ, ubi Vasalli non tantùm Domino, Imperio, & Patriæ servitium Defensionis militare, sed & sibi ipsis auxilium debent, atque suæ Domui, & familiæ, suisque Bonis feudalibus à præsentissimâ Hostium invasione, exitio Libertatis, periculo Captivitatis, Conflagrationis, & Desolationis Universalis, imo ipso vitæ interitu liberandis succurrere, Remediaque exacta ad- & conjungere tenentur. Uti ex dictarum Constitutionum, quæ de Extra-Ordinariis Imperii Collectis latæ, tenore patet, ita, ut extra hunc casum Vasalli ad nullum aliud Subsidium, vel Collectam obligati sint.

II Ex quo hinc *Altera* etiam cadit ab *Usufructuario* desumta Ratio adversa, quod licet Dominium Utile Usumfructum complectatur, magna tamen inter hunc, & illud, inter *Usufructuarium*, & *Vasallum*, ratione FIDELITATIS, & servitiorum Domino præstandorum, nec non MODI *habendi*, & acquirendi, aliorumque sit discrepantia, ita, ut Argumentum ab illo ad Hunc quoad Indictionem, & Collectas Publicas Vasallo imponendas ob rationis utrinque inadæquatæ evidentiam plane invalidum & nullum sit. HOTM. *in Disp. Feud. c. 4. lit. C. D.* ROSENTH. *C. I. concl. XI. n.3. de feud.*

III Eôdem modô ruit Tertia Opinionis adversæ Ratio, nullo ariete opus habens; Cum ex superiore Demonstratione satis superque expeditum est, quod Immunitas Feudis, tanquam Bonis militiæ destinatis, Principali Privilegio ab Origine eorum constituta, Jureque acquisita sit, ideòque eorum Possessoribus, seu Vasallis, & Nobilibus non tantùm quoad Personam suam, sed & quoad ipsa Feuda possessa Jure Militari competere, ipsisque invitis, nec diminui, aut tolli, sed illæsa manere debeat. GAIL. *de Arr. c. 8. n. 12. c. 10. n. 7.* Quoniam liber à causa etiam liber ab Effectu esse dignoscitur. KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 199.* Atque hinc Contrariæ Opinioni EO MINUS colorem addere queat allegata Lex: *sunt munera 11. D. de* Vac. & & Excus. Mun; QUO MAGIS hâc lege Prædia illa, quibus Excusatio Muneris, h. e. Immunitas, Principali Privilegio concessa, expresse excipiuntur. Ejusmodi autem Prædia Privilegiata nihil aliud sunt, quam posthinc Beneficia Cæsarum, & Regum introducta, Militiæque mancipata Feuda, quæ Excusationem à Muneribus, sive JUS IMMUNITATIS tam Principali Privilegio indultum, quam Jure Militiæ quæsitum, & eôdem modô, quo DOMINUS Jus VASALLAGII in iis sibi perpetuo competens, radicatum habent.

Quæstionis quà Mediatos Vasallos Decisio aff.

8 Ergo tantô magis ex his jam *exploratam* VERITATEM supra propositæ *Assertionis* proliquere cernitur, quod VASALLI quoque MEDIATI *Jure Immunitatis in- & adnato tam* quoad Personam, QUAM quoad Feuda possessa gaudentes à Domino Superiori, atque Territoriali præter Servitia Militaria Contributionibus, Indictionibus, & Superindictionibus, sive Collectis, quæ *propriis Subditis* Censuique, ratione Patrimonii, subjectis communiter aliàs injunguntur, etiam

etiam casu Necessitatis contra Naturalis æquitatis, & Contractûs Feudalis Legem & rationem nec *dupliciter* onerari, nec ad earum solutionem cogi possint, aut debeant, *argt. R. I. Ao. 1512. §. 27. & 36. R. I. Ao. 1643. §. 26.* MYNS. *Dec. VII. Resp. 46. n. 50. & Dec. XV. Resp. 12. n. 3. 5. 6.*

9 NISI I in casu, ut jam supra monitum, extremæ, & ancipitis Necessitatis, & Utilitatis Publicæ, utpote *Famis Communis*, aut *Belli* ingruentis TURCICI; ubi præsentissima Hostis infensi potentia, & periculosissimus ejus fremitûs, atque Minæ non tantum Dominum, totumque Territorium, sed & ipsos Vasallos, suæ, & suorum vitæ, Corporis, Honoris, & Bonorum liberationem, tuitionem, & conservationem concernit. BURSAT. *lib. I. Cons. 16. n. 63. 71.* *Exceptio I in casu extrema, & duplicis Necessitatis.*

10 Etenim, si quis ex diversis causis, & Obligationibus aliquid præstare tenetur, ad DUPLICEM quoque præstationem, & Onus obligatus esse censetur. NATTA *Cons. 114. n. 13.* HEIG. *P. I. Qu. 18. n. 23. 26. 36.* CARPZ. *lib. 4. Resp. 71.* Quod præsertim eò casu in hisdem Vasallis ideo etiam valere videtur, cum eorum subsidium, prævia Rei in Diæta Provinciali ipsis factâ Propositione, more solito requisitum, & de eo cum ipsis, tanquam *Statu Provinciæ præstantiori* conventum fuerit; exemplo Nobilitatis immediatæ, quæ quidem neque in *Matriculâ* comprehensa, neque ad certam Pecuniæ summam in Imperio, Collectarum nomine, solvendam obligata, **sondern wird mit selbigen auf ein gewisses** Subsidium **tractiret**; *d. R. I. Ao.* 1512. *add. R. I.* 1544. §. *33. Ao.* 1557. §. *53. Ao.* 1566. §. *49. Ao.* 1570. §. *23.*

11 Cujus tamen tanquam extraordinarii, & singularis solutio neque *horum*, neque *illorum* Mediatorum Vasallorum Immunitatem, aliaque Privilegia immutat, nec ullo præjudicio afficit. Quoniam Bona Nobilium Feudalia nihilominus immunia manent. MYNS. *l. c.* BIEDENB. *Qu. nob. 13.* Imprimis, cum in continua Possessione ejus Immunitatis Vasalli, quà Feuda, semper fuerunt, contra quam, utpote immemorialem, & Observantiam antiquam, neque gravandi, neque Civibus, & aliis Subditis æquandi, sed magis in eâ, ob illorum Militaria servitia Imperio, Patriæque saluberrima, manutenenda sint. KLOCK. *T. 2. Cons. 85. n. 35. de Contrib. c. 1. n. 214. seqq.* MEV. *P. 3. Dec. 101.*

12 NISI II Casus valde insolitus, omnino rarô, imo nunquam verosimiliter opinatus, atque necopinæ Necessitatis, ejusque difficillimæ conditio talis sit ut *non servitiis* Militaribus, sed *tantùm* PECUNIA ei resisti, & communis Calamitas, totaleque exitium averti possit. Veluti in subitâ Contributione Hosti pro redimendâ Villarum, & ædificiorum Universali deflagratione, aut Principe captivo liberando. Ubi enim Servitia Militaria ob Hostis præpotentiam applicari nequeunt, & Domino ejusque vitæ, Honori, libertati, Bonis, & Patriæ non aliter, quàm PECUNIA serviri, & suppetias ferri possunt, ibi Levamine Extraordinariæ Collectæ, *eo fine requisitæ*, & *servitiis* CONGRUÆ subveniendum esse ipsa Rei, æquitatis, & fidelitatis ratio jubet; NATTA *Cons. 114. n. 13. T. 1.* & *Cons. 380. n. 4. T. II.* MYNS. *Dec. 15. Resp. 12. n. 8. 9. 10. 11. seqq.* KLOCK. *T. I. Cons. 28. n. 309.* *Except. II in casu plane inmitas, solito & rarissimo:*

13 *Aut* III NISI ob imminens Belli periculum, & Potestatem Vicini formidabilem, ejusque timendam invasionem Publicæ Securitati, quæ ipsius Vasalli, & suorum Bonorum, Uxoris, & Liberorum Protectionem omninò necessariam spe- *Except. III in casu publicæ Protectionis,*

ipsi Vasallo ejusque bonis necessaria. spectat, etiam *tempore* PACIS providendum sit. Veluti singularissime *in specialibus* impensarum ad Præsidium, & sustentationem MVNIMENTORVM, & *Fortalitiorum*, in Provinciis Statuum Imperii necessariorum, *subsidiis*, iisque *moderatis* à Landsassiis, Civibus, & Subditis pro viribus eorum, & uti necessitas, & æquitas imperat, Domino Territorii præstandis Decreto Comitiali, & Sanctione Pragmaticâ cautum reperitur, *R. I. Ao.* 1555. §. Nachdem aber. *& Ao.* 1654. §. Und gleichwie dieses. *180. in fin. Cap. CÆS. LEOP. I. §. 3. CÆS. Declar. Ao.* 1670 *sup. d.* §. Und gleichwie dieses. *R. I.* 1654. *add. L. per provincias. ibi: cunctis. C. de ædific. priv. l. 10. C. de S. S. Eccles. l. 2. C. de Nav. non excus. l. ad portus. 7. & l. omnes. 12. C. de Oper. pub.* LAUD. *tr. de Castell. qu. 8.* KNIPSCH. *de Civ. Imp. lib. II. c. 22.* MENOCH. *cons. 156. n. 7.* BECHT. *Diss. de Secur. c. 3. concl. 50.* STRYCK. *in Diss. de Fortalit. c. 5.*

Except. IV *in consuetudine vel conventione Provinciæ Universali contrariâ.* 14 *Aut* IV NISI etiam Usus, & Practica Loci, & Provinciæ, immemorialis Præscriptio, aut Conventio Collegialis, & totius Corporis aliud præcipiat. Sicuti enim in Materiâ Collectarum Consuetudo, & Statuta Locorum maximi momenti sunt; PEREGR. *cons. 102. n. 11. Vol. I.* NATTA *cons. 406. n. 24. 25.* & tanquam Regina Civitatis, quæ Civibus facienda, & non-facienda præscribit, attendenda veniunt; BURSAT. *cons. 186. n. 11. 12. & ibi alleg. Dd. plurim.*

Ita illis tamdiu insistendum, quousque contrarium probetur; GAIL. *II. obs. 52. n. 18. & ibi* GRÆVÆ. CARPZ. *lib. 4. tit. 10. Resp. 70. n. 21.* Quia solutiones Collectarum continuæ quasi possessionem, & præscriptionem inducunt. *text. c. Querelam. 24. X. de Elect.* NATTA *cons. 204. n. 6. & per tot. Vol. I.*

15 Quæ tamen Consuetudo & Præscriptio legitimis Requisitis munita esse debet. Aliàs enim *Corpori* Nobilitatis, *aut Minori* ejus Parti, *imo singulis* non nocet, quamvis Unus, vel alter, aut major Pars Vasallorum in Provincia, sive Regione Privilegium Immunitatis neglexissent, aut ab eo recessissent. Quia id, quod omnes tangit, ab Omnibus, præsertim in Quæstione præjudiciali de infringendâ libertate approbari debet. *L. Sabinus. 28. D. comm. div. c. quod Omnes 29. de R. I. in 6to. l. 11. D. de Servit. Præd. Rust.* & ibi BRUNN. CRESP. de VALDAVR. *in Obs. Decision. Illustr. Obs. 112. n. 10. seqq.*

16 Præterea etiam statutum, quantumcunque Generaliter disponens, semper tamen cum ea restrictione intelligendum est, ne aliquis indebitè damnum patiatur, NATTA *cons. 157. n. 12.*

§. XCVI.

Exceptionum Replicatio I de inopia & levidensi feudo Vasalli; 1 Limitandæ tamen præmissæ Exceptiones in eo sunt; MODO (*a*) Vasallus ipse non egeat, aut opibus non satis firmus sit, quæ vix ad ejus, suorumque alimentationem, ac instructionem armatam pro Equestribus Servitiis faciendis sufficiunt. Illô enim casu ab extraordinario Subsidio, omnique Collectâ Vasallus, quoniam alimenta, & præstationes Servitiorum Feudalium, tanquam *potiorum*, Collectas, & alias præstationes Extraordinarias præcedunt, Jure meritoque excusatur, & vacare, nec iis onerari debet: *arg. R. I. de Ao.* 1582. *§. 10. R. I. Ao.* 1643. *§. 24. R. I. Ao.* 1644. *§. 66.*

II 2 MODO (*b*) Præscriptio Immemorialis, & Possessio vel qs. Libertatis, quocunque necessitatis inopinatæ, & extremæ, nec non securitatis publicæ casu, non contribuendi, antiqua Vasallum non præmuniat. Omnimodam enim à qui-

quibuscunque Ordinariis, & Extraordinariis Subsidiis, Collectis & præstationibus Publicis Immunitatem, ficuti & Jurisdictionem, & Regalia, legitimò tempore 40. vel 30. annorum elapso, præscribi posse, Jure, & praxi Communi comprobatum est *l. si scimus. 22. §. 1. C. de Agric. & Censit. l. Omnes. 4. C. de Præscript. 30. & 40. ann.*

3 Et tanto magis quidem, si ea Præscriptio justis, & solemnibus Requisitis columnata, & in illò spatiò Legali, quod à Die Requisitionis, & insecutæ Denegationis, sive Contradictionis decursum, radicata sit; cujus sententiæ Promachi sunt ALEX. *cons. 136. n. 19. Vol. 2.* RIMINALD. *Sen. cons. 31. n. 52.* KLOCK. *Vol. I. cons. 38. n. 230. 231. seqq.* ***tam stricta***

4 Verùm etiam eam Exemtionem plenissimam & perpetuam solùm lapsu temporis 40. annorum, cujus in contrarium memoria non extat, licet interim nec interpellatio, neque recusatio, aut contradictio earum præstationum publicarum intervenerit, MODO tantùm casus, quo collecta, seu subsidium publicum extraordinarium, vel singulare exigi potuit, sive aliis imposita fuit, & solventibus cæteris quidam non solverint, occurrerit, acquiri posse ex communiore Opinione adversus priorem statuere non veremur. MENOCH. *cons. 75. n. 8.* BURSAT. *lib. 1. cons. 16. n. 40. 41.* LAUR. SYLV. *cons. 57. n. 15. & cons. 59. n. 9.* NATTA *cons. 649. n. 3. 4. 5. 6.* CRAVETTA *cons. 3.* MYNSING. *Dec. 15. Resp. I. qu. 2.* D. JOH. FICHARDUS *T. 2. cons. 145. n. 5.* Quippe ejusmodi temporis absoluti, & præscriptivi eam esse efficaciam, ut instar Constituti, Privilegii, & specialissimæ concessionis valeat, confirmant post alios RUIN. *cons. 118. n. 8.* GOZADIN. *cons. 8. n. 37.* ***quàm lata***

5 Adeo, ut eo casu allegans, se præscripsisse immunitatem Collectarum, non teneatur probare, se non solvisse. Quia hujus contrarii affirmandi probatio ad Adversarium, qui præscriptionem decursam negat, pertinet, NATTA *cons. 446. n. 14. 15.*

6 Et proinde etiam ob favorem Libertatis insignem in dubio contra collectarum, & subsidiorum publicorum Onera judicandum sit adstruunt SURDUS *cons. 234. n. 20.* CACHERAN. *Dec. 4. n. 5. & 6.*

7. NISI casus imponendi, vel requirendi Collectam non contigerit; *vel* si occurrerit, necessitas tamen non adfuerit quærendi sive petendi illud, quod debebatur. Eó enim casu interpellationem ad cursum Præscriptionis necessariam esse videtur. Nam si imminueret Necessitas, & non petita fuerit Collecta, ab eo tempore Præscriptionem procedere ambigendum non est. ***Duplicatio Replicationis IIdæ.***

8 Sicuti eodem modo Vasallum, si casus servitiorum occurrerit, & Dominus, iis indigens, illum non interpellaverit, ab hoc tempore libertatem præscribere Juri consentaneum est. NATT. *cons. 406. n. 21. seqq.*

Tantum pro Instituto sufficiat. Vela enim ob temporis rationem contrahenda. Sed me Omnibus hàc in Materia amplissima, juxta ac utilissima haud satisfecisse Ingeniis facile credam. Idcirco si præter Mentis oculum aliquid irrepserit, quod minus curatè dictum alicui videatur, nil nisi æquam abs Te B. L. de his obnixè rogo interpretationem. Cæteroquin uti SANCTUS SANCTUS SANCTUS JEHOVA omnium nostrorum actionum Principium, & Finis: ita pro auxilio, & ab illius Numine Mihi benignissime concessis Viribus sit ipsi ***Epilogus***

DEO OMNIPOTENTI OPTIMO MAXIMO
SOLI LAUS HONOR ET GLORIA
AMEN

COROLLARIA

I Poena gravior non pecuniaria imposita in causis famosis Jure Civili existimationem non detrahit, sed absque nota conservat.

II Notario Minori peccanti contra Lotharii, & Friderici I. Impp. Constitutiones pœna ordinaria non irroganda.

III In Actionibus Delictorum famosis Pactum & Sententia idem sunt.

IV Nobili Privato, vel Mediato partem feudi Minorem absque Consensu Domini alienare non licet.

V Soli Nobiles, exclusis Plebeiis, habent Parium Curiæ Dignitatem.

VI Non omne Feudum nobilitat.

VII Nobilis in Imperio æqualem in altero Regno cum æquali habet Dignitatem.

VIII Dignitatem Principis inferiorem esse Ducali absolutè dici nequit.

IX Dos est Debitum feudale.

X Pactum & Consuetudo à pari procedunt.

XI Vasallum servientem & ab hoste captum Dominus redimere tenetur propriis etiam sumtibus.

FINIS.

Ad §. 31 Cap. I.

Formula Consensûs a Domino requisito oppignorationi feudi ad 12. annos adjecti.

WIr Johannes von Gottes gnaden, Pfaltzgraffe bey Rhein, Hertzog von Bayern Graffe zu Veldentz vndt Spanheim, bekennen vndt thun kundt offentlich mit dießen Brieff, daß wir dem Vesten vnßern Lehnman und lieben getrewen Chun Echbrechten von Dürckh.im vff sein vnterthänig bey vnß beschehenes Ansuchen gnädiglich vergönnet vndt bewilliget haben, vergönnen vndt bewilligen auch Ihm In vndt mit Krafft dießes Brieffs für vnß, vnßere Erben vndt Nachkommen daß er vff daß Schloß vndt Dorff Heuchelheim sampt den darzu gehörigen Gutern, so er von vnß zu Lehen trägt, Acht Taußendt gülden jedem zu 15 Batzen oder 27 Albus gerechnet, bahren geldts auffnehmen vndt entlehnen möge, Jedoch mit dem außtrücklichen Vorbehalt, daß er oder seine Erben schuldig sein sollen, solche 8000 fl. Haubtgeldts vffs Lengst innerhalb 12 Jahren, den nechsten nach dato dießes Brieffs wieder abzulegen vndt daß Lehen wieder ledig zu machen, auch Immittelst vnß so wohl alß vnßern Erben bevorstehen soll, solche Summa geldts selbst abzulößen, vndt an deß Herleyhers Statt zu stehen, Insonderheit aber soll solche Verwilligung vnß vnd vnßern Erben an vnßer Mannschafft, Lehenschafft, Lehenrechten vndt gewonheit in alle weg ohne Nachtheyl vndt schaden sein. Da auch wir oder vnßere Erben Ihme oder seinen Erben, Innerhalb deren bestimpten 12 Jahren die nechst verschienen 1603 Jahrs zwischen vnß vndt ihme verglichene Summa des gantzen Kauff Schillings werden erlegen laßen, welches wir vnß dann hiemit außtrücklich wollen vorbehalten haben, So soll alß dann derselbige getroffene Kauff seinen Endtlichen fortgang haben, da es aber nit geschehe, diese vnßere Verwilligung nach Endigung mehr berührter 12 Jahr ihre Endtschafft haben, alles getrewlich vndt sonder gefehrde, deßen zu Vrkundt haben wir dießen Consens mit unßerer Subscription vndt angehenckten Lehen Secret bekräfftiget, geschehen zu Zweybrücken vff Mittwoch den 15 Febr. Anno 1604.

Johannes Pfaltzgraffe bey Rhein
manu propria Subscripsit. (LS)

IENA Tibi fummos, HAYNI, decernit honores,
IENA Tibi, doctis femper vt aequa Viris.
Hic, vbi tantorum fefe doctrina virorum
Explicat, ac mentis promit & ornat opes:
Hic, vbi BVDDEVS, lumen venerabile mundi,
Absque pari rectam monftrat ad aftra viam;
Hic, vbi cum STRUVIO, quidquid Sapientia praeftat
SYRBIVS, & reliqui, docta corona, docent.
Adplaudo decori fido de pectore tanto,
Adprecor & meritis fata fecunda tuis.
Praemia quum videam virtutem digna referre,
Praemia virtuti gaudeo digna dari.
Virtuti grator de Te, Tibi grator & illam;
Virtuti decus es, ceu decus illa Tibi.

VIRO NOBILISSIMO
de meritisfimis honoribus
gratulatus
Scripfit Francofurti ad Moenum die 1. Febr.
A. O. R. cIↄ Iↄ ccxxix.
IO. GEORGIVS PRITIVS, D.
Minifterii Senior.

Viro Nobiliffimo
IO. ADAMO HAYNIO,
S. D.
BVRCARD GOTTHELF STRUVE.

TAndem Praetura Catonem! Sic enim, VIR NOBILISSIME, poft exantlatos labores, ad honores adfcendis, dudum promeritos. Induftriam Tuam, in diuerfis non folum Academiis, celeberrimorum virorum fubfellia, fcholasque fecutus, fed etiam forenfes tractando caufas in celeberrimo potisfimum Germaniae Emporio, probafti. Nunc etiam per differtationem multa cura elaboratam, aditum Tibi parafti ad cathedram Superiorem. Gratulor ex animo de novis hisce honoribus, optoque, velit Supremum Numen maiores addere, & quaevis profpera benigniffime elargiri, Teque poft tot diurnos labores, nocturnasque ftudiorum caufa vigilias, ad fuaues amplexus reducere. Hoc amica mente adprecor, meque Tibi ad quaeuis officia fore paratum, fincere promitto. Scribebam Ienae d. XVIII. Februarii, cIↄ Iↄcc xxix.

ESt virtutis opus, plus ultra tendere; in arctum
Nec patitur redigi mens generosa statum.
Ipse Tuo exemplo monstras, DOCTISSIME AMICE,
Quam sit, in excelsum surgere, dulce Tibi.
Hactenus Orator caussarum & suave fuisti
Pressorum auxilium, gloria magna fori.
Sed nunc dulce putas doctrinam, & mentis acumen
E cathedra solide posse probare Tuum.
Quo pacto, quæ sit Tua laus, industria, virtus,
Et vis ingenii iudiciique probas.

amica m. & m. scr.

C. ACHATIUS BECKIUS, D.
Facult. Jurid. h. t. Decanus.

QUæ TV jam dudum meruisti summa Brabea
HAYNI nunc demum nostra Salana dabit.
Nunc TIBI Juno favet, Saturnia donat honores,
Blandula jam TE sors ad magis alta vocat.
Hæc sunt virtutis, sunt præmia justa laborum
Queis superas Pindi TV juga celsa sacri.
Fortunam stabilem Titulis & Honoribus opto.
Accedant Gradibus maxima quæque TVIS.

Hisce Nobilissimo atque Consultissimo DNO. DOCTORANDO de summis in utroque jure honoribus IPSI post habitam magna cum laude disputationem inauguralem conferendis ex animo gratulatur

JO. BERNHARDUS WIDEBURGIUS,
Mathem. P. P. *& Ducalium alumnorum* INSPECTOR.

VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE CONSVLTISSIME,
FAVTOR ATQVE AMICE ÆSTVMATISSIME.

SIcut non leve singularis doctrinae, quâ in Prudentia Iuris Publici, Feudalis, & Civilis, quàm in aliis scientiis ornatus es, specimen in Tua Dissertatione Inaugurali, quam publice Omnium cum applausu laudabiliter propugnasti, cujus rei ipse, a Te in numerum Opponentium benevole receptus, præsens testis fui, edidisti; Ita Tibi non solùm de eo, sed & de proxi-

me

me instantibus Honoribus Doctoralibus ex intimo corde gratulor. precorque, ut Deus, quem sincere colis, omnibus Tuis conatibus gratiam suam uberrimè impertiatur. Vale & non immemor vive

Tui officiosissimi

IO. ERNESTI FLOERCKII, D.
Curiæ Provinc. Saxon. Advocati Ordin.
& Academiæ Salanæ Syndici.

Accipe maturos, Clarissime FAVTOR, honores,
Queis ego cum reliquis prospera quaeque precor.

Paucis hisce, supremos Honores dudum promeritos, Amplissimo VIRO, pia mente gratulor

CHRISTIANUS GOTTLIEB BUDER, D.
Bibliothecae Jenensis Praefectus.

Discite Justitiam! sic Justiniane tonabas
Te quum sub vivis vivere fata dabant.
Gaudia carpe Senex, & adhuc vestigia læti,
Grandia qui lustrant suntque vigentque tua.
Sunt quos Astræa sanctissima jura juvabunt
Volvere, qui clamant: discite justitiam.
Sunt quibus est cordi celsa de luce cathedrae
Justitiae gnomas perdocuisse palam
An dubitas? hic est exemplo qui ipse probabit
Hactenus & Themidos pervaluisse scholas.
Nimirum cathedras quem nunc ascendere cerno
Fauste juridicas, TE puto, TE volui.
Sic Decus egregium permultis vsibus, arte
Edocte & præstans, conciliatur honor;
Sic comes est virtus curæ, sic gloria Baldi
Virtutis, quæ stat dum ruet ipse polus.
Gratulor ex animo, lætis successibus opto
Gaudeat illud opus, quod decoratus adis.
Tempora labuntur: sed sedula quam sibi dextra
Colligit, hæc nullo tempore fama cadet.

Hæc Consultissimo HAYNIO Fautori & Amico Optimo, gratulabundus de egregiæ eruditionis specimine adscripsit.

J. C. HEIMBURG D.

VIR OPTUME!

Nulla aetas, nulla facultas, nullum studium
defuit
Tibi bene precandi;
Sed mihi iam verba in Te exornando desunt.
Superiore Seculo
Musas Salanas cum salutaremus
communibus litterarum studiis aliquot annos
ibidem dantes,
intercessit mihi Tecum amicitia,
non fucata, non simulata, non falsa,
sed spectata.
Hanc
coluisti, defendisti, servasti,
Seculo nunc florente,
Te rerum Praeside,
Me Duce KREVZIANA gente splendidissima,
in castello quod KREIPITSCHIVM vocatur,
Quis credat!
praeter spem eam redintegratam,
cum iucundissima consuetudine
tum summa necessitudine,
in patria nostra Vrbe amplissima,
ita vt
pro perueteri hac amicitia,
qua
nihil amabilius, nihil iucundius, nihil praestabilius,
facere non potuerim,
quin
AMICO
vsu & sapientia praestanti,
mihi amicissimo, nemini inimicissimo,
insigne honoris laudisque monumentum
statuerem.
Haud difficile est
laudare amicum
Magno Parente dignum,
multis rebus ornatum,
doctrina & consilio valentem:
id vero
quod difficilius putatur,
laudes
minuere, reticere, omittere.
Mihi gratulor
haec ad te scribere
soluta acri hieme,
CONSULTISSIME HATNI!
quod
conveniant rebus nomina saepe suis.
Quidquid amoenitatis,
quidquid dignitatis,
quidquid ornamenti,
in Luco
reperire licet,
THEMIDI sacrum
Jam
vernes, floreas, vigeas,
suffragio Amplissimi Iurisperitorum Ordinis
via munita,
ad
Nomen Titulumque Doctoris Juridici
capessendum.
Sed quorsum tandem?
Superesse videntur verba quae dixi
defutura.
O felices fluvii Civitatesque!
NAVMBVRGVM ad Salam Te progenuit;
Ad ripas Salae SCHOLA PORTENSIS Te
educavit,
ACADEMIA SALANA Te scientiis &
honoribus
insignivit & consummavit.
Augusta sedes VIENNA
ad Danubium caussas Tuas
praedicat,
FRANCOFVRTVM ad Moenum Te recipiet.
Quo
re simul & feliciter ex animique sententia
confecta
optant omnes, qui Tibi bene cupiunt,
precorque Deum ego,
vt
Te saluum atque incolumem reducem
faciat,
omnibusque beneficiis auctum
felicem semper fortuna tumque
praestet, seruet, tueatur.
Quod super est,
pro
Tua prudentia
fac ames
deuinctum, obsequiosum, obseruantem
JOHANNEM CHRISTIANUM
HEUSONIUM
Collegam Gymnasii, quod Trajecti ad
Moenum floret Secundum.
A. O. R. cIↃ IↃcc xxix.

VIRO

VIRO
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE
DOMINO
IOHANNI ADAMO
HAYNIO,
VTRIVSQVE IVRIS DOCTORI
AC CONSILIARIO SAXO-VINARIENSI
MERITISSIMO,
PATRONO SVO QVAM PLVRIMVM COLENDO
S. P. D.
FRANCISCVS LVDOVICVS
WALLACHER
MOENO-FRANCOFVRTANVS.
SACRAE THEOLOGIAE CVLTOR.

Qvemadmodum, VIR EXCELLENTISSIME. *omnes, quae eruditionis circulum absoluunt, disciplinae tam arcto inter se coniunctae sunt vinculo, vt mox vna alterius fundamentum constituat, mox, quae in hac supponuntur, in illa iam accurate tradita sint, adeoque nulla sine aliis plenissime sibi constare queat; ita & quaedam inueniuntur, quae etsi non necessarium inter se habeant nexum, magnum tamen sibi inuicem vsum praestant. Testatur hoc prae caeteris ipsa disciplinarum facile princeps, theologia, vtpote cuius egregium in iurisprudentia vsum nemo facile in dubium vocabit. Non dicam nunc de vulgari sacrarum rerum notitia, quae, vt cuiuis christiano, ita & doctrinae ciuilis aperito, ad vitam beate agendam necessaria est; sed, de acroamatica quadam diuinarum rerum scientia, quae non singulare solum decus ac ornamentum illi conciliat, sed & in ipsa ciuili doctrina eximios praebet vtilitatis fructus. Quum enim leges ciuiles nihil, quod naturae legibus contrarium sit, continere debeant, hae autem multo accuratius ex ipso summi-*

mi legislatoris ore, in sacra scriptura ad nos loquente, quam ex ratione, valde obscurata, cognoscantur; facile patet, quam necessarium ac vtile sit scripturae studium iis quoque, qui in ciuili prudentia suam collocare operam sibi proponunt. Diuinae etiam paginae sunt, quae magistratibus eiusmodi leges ferendas praescribent, per quas & ipsis & subditis licebit esse felicissimis; quae perfectum perfectae reipublicae exemplar in descriptione theocratiae iudaicae, legumque, a sapientissimo principe populo suo latarum, illis ante oculos ponent, non quidem, vt eamdem regiminis formam introducant, aut illarum legum obligatione teneantur; sed tamen, vt, quae ad sui status felicitatem conducere ipsis videntur, eligere, aut ad illarum exemplar disponere queant. Sacri porro fontes sunt, qui iudicibus ac iureconsultis in legum interpretatione saluberrimos constituent limites, quibus obseruatis omnia iustitiae ac aequitati, cuius sacerdotes ipsi Iustiniano imperatori audiunt legum periti, cuiusque promotio vltimum iurisprudentiae constituit finem, exacte respondebunt. Multae quoque in ipso iuris corpore conspiciuntur leges, ab imperatoribus christianis contra diuinae veritatis hostes ac primitiuae ecclesiae haereticos latae, quas, qui in theologicis hospitem se deprehendit, nunquam rite intelligere, multo minus solide explicare poterit. Et quot denique dissensiones ac bella, quae theologos inter ac iureconsultos summo cum detrimento geruntur, sponte cessabunt, si vtrique solida diuinae doctrinae imbuti essent cognitione? Quapropter & quouis tempore extitere, qui vtramque, sacram & ciuilem scientiam, feliciter coniunxerunt. Imo, adhuc hodie illustrissima in coelo iuridico splendent sidera, quae, iactis prius haut contemnendis in theologia fundamentis, ad iurisprudentiae studium se accinxerunt, & partim e sacra in ciuilem cathedram felicissimo successu transcenderunt. Idem & TVO, VIR EXCELLENTISSIME, *constat exemplo; ex quo enim* TIBI *innotescere mihi contigit, non possum non fateri, me eximiae* TVAE *in sacra pariter ac ciuili doctrina eruditionis semper fuisse admiratorem; nunquam nisi summo cum gaudio* TE *accessi,* TVVM*que petii colloquium, quoniam mihi iam persuasum erat, me multo doctiorem ex eo recedere;*

imo

imo non cum iureconsulto saepius, sed cum consummato theologo loqui me mihi videbatur. Et, quid opus est verbis? egregium, quod nunc eruditi orbis oculos subit, specimen satis superque testatur, quam felicissime theologiam cum iurisprudentia coniunxeris, & quam optime dignitatem, qua nunc augeris, meritus sis. Quapropter de vtroque ex animo gratulor, summumque, quod haut fucata prosequeris pietate, numen supplex veneror, vt TE, PATRONE, *quam plurimum colende, porro paternae suae tutelae ac prouidentiae commendatum habeat, saluberrimas* TVAS *actiones ac consilia in sanctissimi nominis sui gloriam, in totius patriae nostrae, cui egregios indefessae* TVAE *diligentiae, ac eruditionis plane eximiae fructus percipere licet, emolumentum,* TVI*que ipsius decus ac gloriam dirigat, cuiusuis generis mala abs* TE *abesse, omnibus vero, quotquot* TIBI *exoptare poteris, bonis abundare iubeat. Quod superest,* TVO *me fauori, beneuolentiae ac patrocinio etiam atque etiam commendo. Dabam* IENAE, *d.* XVI. *Februarii. A. O. R.*
cIↃ IↃ CC XXIX.

EMinus, aspiciens radiosum lumen honorum,
Summos Jure hodie quos in vtroque capis.
Hem! volo, dicebam, modulari carmina Viro,
Qui Themidos iustæ præmia tanta meret.
At mihi scripturo versusque vocesque recedunt,
Nec sit versiculus iam fugiente die.
Tunc intrans Astraea, pium miserata dolorem;
Salue! ait; & solito plus radiata caput
Blanda, rogat: frustra quid tiro misselle laboras?
Nostine tu vires gnate tenelle tuas?
En! mea verba, meo quae reddas nomine Viro;
Queis ego, dic, illi gratuler ipsa Themis.
Dixerat: *Euge legum TV mihi meritissime Doctor!*
Sint TVA perpetuo prospera fata volo.

ANDREAS FRIDER. ROSE
Wursato-Bremensis.

Hoch.

Hoch-Edler,

da ich heut den Pindus wolt besteigen,
Da Jhm Astræens Pracht die frohen Schläffe schmückt:
So muste, ob ich gleich nicht wolte, schleunig schweigen,
Weil Clions Zauber-Klang die Seele von mir rückt;
Der Geist stockt und vergaß so gar das Athem ziehen,
Es drang der Sinnen Krafft sich dem Gehöre zu:
Hier würde Orpheus Geist aus seinen Adern fliehen,
Und in der Leidenschafft fort suchen seine Ruh.
Doch endlich sahe ich der Pallas ins Gesichte,
Und merckte, daß ihr selbst ihr Blut vor Freuden walt,
Kaum aber senckte sie von ihren hohem Lichte,
Mir ein'ge Blicke zu; So sagt sie zu mir: halt!
Dein Unvermögen wird umsonst die Saiten zwingen,
Dein Lied verfehlt, weil hier sich Clions Laute rührt,
Die muß itzt diesen Sohn mit sondrer Kunst besingen,
Da Jhn Astræa hat, nach meinen Wunsch, geziert.
Drum **Hochgeehrtester** wird Er mirs nicht verdencken,
Wenn die erfreute Pflicht bey ihrer Armuth schweigt.
Denn wen Astræa will und Pallas selbst beschencken,
Dem wird von mir umsonst ein Lorber-Blat gereicht.
Indessen wünsche doch so vieles Glück und Seegen,
Als Jhm Astræa ietzt und Pallas Lorber streut.
Darff ich, mir schmeichelnd, noch die schöne Hoffnung hegen,
Daß Er mir fort geneigt: So nenne mich erfreut

Meines Hoch-Edlen und Hochgelahrten Herrns
auch Hochgeehrtisten Gönners

ergebenster Diener
JOHANN. JUSTINUS SCHIERSCHMIDT.
Philos. & LL. Cult.